9.

QUAESTIONUM PHILOLOGICARUM

SPECIMEN

ORATIONIS ADITIALIS

INDICENDAE CAUSSA

PROPOSUIT

HENR. CAROLUS ABR. EICHSTAEDT

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR PUBL.

EXTRAORD. IN ACADEMIA LIPSIENSI

A. D. XXI SEPTEMBR. CIↃIↃCCXCVI H. IX

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA

Insigne nobis et laetandi et gratias agendi argumentum obtulit indulgentia SERENISSIMI ELECTORIS, FRIDERICI AUGUSTI, demandanda nobis in celeberrima hac litterarum Universitate Professione Philosophiae Publica Extraordinaria: cui solennibus verbis auspicandae quum iam proludenda quaedam sint auditorum invitandorum caussa, ita mentem ad scribendum sese applicantis occupavit illius cogitatio indulgentiae, ut de alia re praefari, quam de ipsa laetitiae nostrae caussa, nequeamus. Etenim si beneficii in se luculenti magnitudo

augeri, cumularique gratia potest conciliantium auctoritate, conferentium voluntate ac iudiciis, tribuendi tempore: quî vacuus esse possit animus sensu laetitiae, quum sit traditum nobis beneficium per eos, quorum benevolentiam summa mentis pietate prosequimur, tributum ab iis, quorum omnia munera nobis debent esse gratissima, concessum denique eo tempore, quo vocatis ad exteros patria nobis propediem relinquenda videretur. Tanta igitur et tam multiplex quum esset collati in nos beneficii commendatio; iam dudum gestiit animus gratias agére SERENISSIMO PRINCIPI NOSTRO, eius AMICIS bene precari, ACADEMIAE eiusque tum Patribus, tum Civibus fidem, obsequium, benevolentiam publice spondere ac testificari. Id facere, annuente Deo, conabor

bor die Mercurii proximo, praemissa oratione pro studiis humanitatis; quae studia si negligantur aut parvi pendantur, verendum est, ne et caeterae disciplinae fulcro suo ac praecipuo ornamento destituantur, et ipsa Academia nostra magnam antiquae gloriae partem amittat.

Tali autem orationi indicendae parum auspicata fortassis videbitur prolusio, quae tota versatur in critico argumento, neque adspersas habet eas illecebras legendi, quae abalienatos ab istis studiis animos reducere possint et ad quamdam cum iis familiaritatem contrahendam invitare. Scio et fateor. Neque dubito, futuros esse multos, qui adspernentur huius materiae tenuitatem, eamque si non a studiis, quae ab adolescentia et dilexi maxime et colui, certe

ab hoc loco et hoc tempore abhorrere iudicent. Horum animos, non habeo, quo pacto mitigem, nisi credere velint asseveranti, nullam mihi multis de caussis moram fuisse visam molestiorem, quam qua pietatis meae publica declaratio procrastinaretur. Proinde quum forte occupatus essem scribendis Observationibus criticis, quibus et novam Theocriti editionem eruditis indicerem, et FRIDERICI VOLGANGI REIZII, Praeceptoris quondam mei, hei! nimis mature litteris et nobis erepti, emendationes quasdam in publicam lucem, iam pridem ipsis debitam, proferrem: malui nunc divulganda illarum observationum prima particula exspectationi lectorum, quam circumspiciendo alio argumento, morasque nectendo pietati meae deesse. Qua in re si quid peccavi, videor mihi excusate

cusate peccasse, paratamque in aequitate lectorum habere veniam atque excusationem. Caeterum si qui fuerint, quos fore paucissimos scio, qui in haec Critices spatia mecum velint longius excurrere, iis significo, continuationem libri, cuius primae nunc plagulae exeunt, mox esse prela subituram.

His ita praemissis, quae ad instituti nostri vel defensionem vel commendationem videbantur necessaria, ACADEMIAE RECTOREM MAGNIFICUM, PRINCIPEM CELSISSIMUM, COMITES ILLUSTRISSIMOS, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES VENERANDOS, COMMILITONES GENEROSISSIMOS, AC NOBILISSIMOS, qua quemque pietate, reverentia et diligentia par est, etiam atque etiam quaeso,

ut

ut orationi meae aditiali frequentes faventesque intersint. Quo quidem benevolentiae exoptatissimo documento quemadmodum muneris nostri auspicia reddentur splendidiora, omnisque tum diei solennitas, tum gratiarum actionis religio adaugebitur atque illustrabitur: ita beneficii illius memoriam fore sempiternam, in referendaque gratia et studium assiduum, et pietatem iucundam, pollicemur, recipimus, vovemus.

P. P. in Universitate Artium Lipsiensi, die Dominica XVII post Trinitatis, anno a C. N. CIↃIↃCCXCVI.

CAPUT

CAPUT I.

Imitationis poëticae observatio quem usum praestet Critico. Virgiliana Theocriti imitatio. Ex ea Theocriti locus, et Propertii ex Theocrito et Bione, restituitur. Obiter H. Homerici in Apollinem versus emendatur.

Imitationis quae ratio fuerit apud veteres, in primis poëtas, quae vis ei sit tribuenda, qui limites constituendi, tametsi nondum sic declaratum a quoquam est, ut distinctis poëtarum variis aetatibus et quasi familiis, generalibusque observationibus ad singulorum vel locorum vel carminum exempla traductis, argumentum explicatum, limataque veritas et prorsus enucleata videatur: tamen sunt nonnulla ex hoc genere ab intelligentibus viris quum animadversa prudenter, tum utiliter admonita, quae studia legentium adiuvent, praecipientium subtilitatem acuant, censorumque iudicia regant ac moderentur. In his autem illa potissimum cautio diligenter est nostra aetate inculcata, ne, tractandis veterum poëtarum operibus, temere aucupemur loca similia, similitudinisque inani specie decepti, praestantissimis inven-

toribus crimen imitationis cum magna ipsorum iniuria inferamus *). Est nimirum haec insignis multorum levitas, qui poëtis malint ingenii, quam sibi doctrinae laudem deesse. Quibus quum acriter sese et merito opposuerint, qui patrocinium ac defensionem poëtarum susceperunt; tamen horum etiam defensio, ne latius, quam par est, evagata, rectum iudicium pervertat, suis, si quid video, circumscribenda est terminis. Quemadmodum enim in poëtis primariis, qui ingenii sui impetum, suaque ipsorum sunt

*) Post brevem, sed acutam, BECKII nostri hac de re admonitionem (in Commentatt academicis de interpretatione veterum scriptorum, pag. CX.) non defuerunt quidem omnino, qui de imitatione poëtica scribere instituerent. Verum illi, nimio fortasse defendendorum poëtarum studio abrepti, nihil attenderunt neque ad varias illorum classes et aetates, neque ad diversa, quae sequerentur, consilia; sed, ut fieri solet in excusatione eorum, quos diligimus, in contrariam partem sic deflexerunt disputando, ut ne in iis quidem, vel carminibus vel carminum locis, imitationem agnoscerent, quibus apertissima illius impressa essent vestigia. Cautius multa et circumspectius hoc in genere praeceperunt R. HURDIUS duabus illis disputationibus de imitatione poëtica et notis imitationis poëticae, quae insertae sunt To. II. commentarii in epistolas Horatianas, pag. 97. seqq., CAR. GODOFR. SCHREITERUS de Horatio Platonis aemulo (Lips. 1789. 4.) et IOH. CHR. SCHWABIUS in egregio libello Von dem Einflusse der Nachahmung fremder Werke auf den vaterländischen Geschmack, Berolin. 1788. 8. Add. DAV. RUHNKENII praefationem ad Timaeum, p. XX. seqq. ed. secundae.

sunt exempla sequuti, haud patienter sedulitatem feras illorum, qui propter levem similitudinis umbram sententiarum lumina aliunde petita, colorem orationis ex alio ductum existimant: ita in caeteris, quos secundi ordinis poëtas appelles, praesertim Romanis, qui toti pependerunt ab imitatione Graecorum, penitusque sese insinuarunt in eam, quae his familiaris fuerat, componendi loquendique consuetudinem, indagandum est diligentissime imitationis studium, in lucemque etiam iis ex locis protrahendum, qui primo adspectu fallere queant lectoris non exercitati satis, nec diu multumque in scriptis veterum volutati, iudicium. Quippe magni est momenti ad rectam et accuratam scriptoris censuram hoc officium, pertinetque omnino ad humanitatis ingeniique fructum, nosse, utrum a se ipse, an ab alio sua habeat auctor. Quis autem nescit, permultos tam callide fecisse imitatores, ut, quas transsumpserant, sententias nunc latius exponerent, nunc variis modis ornarent; imagines non tam sequendo exprimerent, quam significarent alludendo, aut invertendo adumbrarent; tractationis ordinem mutarent, omnemque imitandi rationem novis artificiis tegerent ac veluti dissimularent? Haec carmina, vel carminum loca, quamvis luculentiorem praebeant et uberiorem materiem formandi acuendive iudicii critici, seu, ut hodie loqui amant, aesthetici: nihilo minus tamen etiam in illis, quae imitatricem operam manifestius produnt, multa sunt, quae ab interprete,

si suo velit officio fungi, negligi nullo pacto debeant. Ad haec enim loca unice pertinet, quod est multorum et scriptis propagatum *), et comprobatum exemplis, in accurata observatione imitationis tantum inveniri non modo interpretationis, verum etiam criticae exercendae praesidium, ut ipsa scriptoris intelligentia constare sine illa observatione vix possit. In re notissima ne deducamus lectores ad deverticula locorum communium, in uno subsistere Virgilio iuvat. Hunc ad Theocriti exemplar ita se scimus applicavisse, ut modo singulos versus singulasque carminum particulas iuvenili, ut videtur, studio verteret, modo plures Syracusani poëtae locos conflaret in unum; ut sententias, per varia carmina dispersas, pro consilii et argumenti ratione coniungeret, coniunctas exornaret suo modo ac variaret; ut denique, quod in primis operae pretium fuerat animadvertere, pastoritios flores ex iis etiam legeret Eidylliis, in quibus nihil esset ruris, pastoritii nihil, quaeque adeo vehementer a toto hoc genere abhorrerent. Qui quidem ambitus Virgilianae imitationis, latissime patens, quum parum fuisset iudicibus nonnullis perspectus, ab aliis consulto ad erroris praesidium traductus, et ad indolem virtutesque Theocriteorum quorumdam carminum

*) Prae caeteris cf. DAV. RUHNKENII Epist. crit. p. 63., DAN. WYTTENBACHII Descriptio ac specimen editionis opp. Plutarchi, in Bibliotheca Critica, Vol. III. P. I. p. 8. et IMMAN. THEOPH. HUSCHKII Epist. crit. p. 3. seqq.

num diiudicandas inepte usurpatus; profecto mirum non est, tot sinistra de his et absona prodiisse iudicia, quae alio loco tetigi: sed illud mirationem faciet, quod et ad nostram rem propius spectare nemo non intelligit, et ipse crebrius demiratus sum, ab iis, qui criticam Theocrito operam navare vellent, Maronearum comparatione eclogarum haudquaquam tantum, quantum res et ratio postularent, in tollendis corruptelis actum, sed aliquanto etiam minus, quam oportuisset. Lubet igitur, quantum criticae utilitatis ad Theocritum nostrum ex tali comparatione adhuc redundare possit, uno alteroque exemplo planum facere.

In primo Eidyllio Daphnis, morti vicinus, idemque Veneris irrisione ad iram provocatus, lascivae Deae acerbissime exprobrat furtivos amores, quos in Anchisae olim et Adonidis amplexibus exercuerat. Ibi versu 109 haec occurrunt:

Ὡραῖος χ' Ἄδωνις, ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει,
Καὶ πτῶκας βάλλει, καὶ θῆρία τἄλλα διώκει.

Quo in loco vere et subtiliter, ut solebat, VALCKENARIUS (in notis ad priorem Decem Eidylliorum editionem, p. 29.) aliquid Theocriteum desiderari iudicavit. Profecto enim omnis ista oratio, nisi interpretando emolliatur per inversionem aliquam particularum, quod Arethusae elegantissimo auctori placuit, non solum ab eo, qui exspectabatur, sententiarum tenore recedit, sed abhorret etiam vehementer a brevitate lacessentis, qua Daphnis in superioribus

rioribus (v. 105. 106.) usus, concisa opprobria, et non satis aperta, cum acumine quodam iecerat. Venerem ibi ablegarat in montem Idam, Anchisae commoratione et amoribus nobilitatum. Simile quid exspectabamus facta nunc mentione Adonidis, quem et ipsum levis Dea deperierat. Sed ecce! improvisum est et prorsus inopinatum, quod subiicitur: formosum esse Adonidem, quandoquidem (quia) etiam oves pascat. Siccine vero formosus ille fuit ideo, quod oves pasceret? et quid omnino hic opus erat Daphnidi, caussam suam tueri commemoranda alius pastoris pulchritudine? Non latuit REISKIO, quam aliena ab hoc loco ista iaceat sententia. Sed vir ille praeclarus quum esset in vitiis orationis poëticae odorandis sagax interdum, in tollendis fere semper infelicissimus, omninoque, ut vere existimavit novissimus Plutarchi et unicus instaurator, DAN. WYTTENBACHIUS, ex omnibus ingenii facultatibus iudicium, sive datum a natura, sive negatum, minime excoluisset; huic quoque versui correctiones adhibuit, quas cum multis aliis similibus, incitata festinatione profusis, omnino satius videtur in posterum silentio premi, quam opprimi vituperio ac reprehensione. Felicius cessit emendandi periculum ELDICKIO, qui Valckenarii nutum sequutus, tentabat:

'Ωραῖος χ' "Ωδωνις 'ΕΠ' "ΑΓΚΕΣΙ μᾶλα νομεύει.

Correctionem Eldickii nuper repetiit HEINRICH, praeclarus Gottingensis disciplinae philologus, in Obser-

Observationibus in auctores veteres p. 60. Mihi corrigendum videbatur:

Ὡραῖος χ' Ὠδωνις ἘΠ' ἈΚΤΑ͂ι μᾶλα νομεύει,

sensu non minus perspicuo, mutatione levissima. Ἐπ' ἀκτᾷ sic occurrit apud Homerum Il. β, 395, Anacreontem LI, 12. p. 186 ed. Fischer. recentiss., Euripidem Hec. 28. aliosque permultos, quorum loca congerere, merus est labor digitorum. Addam hoc, Ἐπ' Ἰνώποιο ῥείθροις REIZIUM nostrum eadem ex norma restituisse Homerico Hymno in Apollinem, v. 18, ubi nunc vulgatur: Ὑπ' Ἰνώποιο ῥεέθροις. Adscripserat Vir optimus Euripidis Phoen. 581. ἐπ' Ἰνάχου ῥοαῖς. — Caeterum satis usitatum est poëtis, collocare pastores ad flumina, in locis irriguis (πίσια), quae pecori pascendo maxime idonea sunt. Auctor carminis inter Theocritea XXV, 9.

Ποῖμναι — νέμονται ἐπ' ὄχθαις ἀμφ' Ἐλισσῶντος,

Coluthus de R. H. v. 101.

Κουρίζων ἐνόμευε Πάρις πατρώϊα μῆλα,
Ποιμαίνων δ' ἑκάτερθεν ἐπὶ προχοῇσιν Ἀναύρου,

et, qui primus a nobis nominari hoc loco debebat, Virgilius Eclog. X, 10.

Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.

Tametsi enim persuasissimum nobis est, (quod etiam monitum video in Ephemeridibus litterar. univers. Ienae prodeuntibus, a. 1791. no. 221. p. 332.) turbatum esse omnem istum Maronis locum, omissa Veneris oratione, cuius loco Grammaticus aliquis ineptum illud emblema inferserit:

nostri

nostri nec poenitet illas,

Nec te poeniteat pecoris, divine poëta: tamen et hoc perspicere nobis videmur, contagionem depravationis non tam late manasse, quin Theocriti versum, prout emendatus nostra opera est, plane expressum a Virgilio agnoscamus. Praestat praeterea haec imitatio Romani poëtae attento lectori id tamquam adventiciae utilitatis, ut secure possit damnare TOUPII correctionem, in Epistola de Syracusiis p. 339 propositam: Ὦρειος χ' Ὦδωνις —. Qua de re etiam Valckenarius monuit. Sed mirum quiddam est, quod Toupius ad tuendum id, quod coniecerat, in epistola ad Eduardum data huiusque editioni Theocriti (Cantabrig. 1779. 8.) p. 178 inserta, monitori perspicacissimo reposuit: Virgil's formosus Adonis is nothing to the purpose. If he followed Theocritus, he followed a bad Copy. Nam etiamsi concedendum sit, quod, exemplo in medium allato, in primis Ruhnkenius Epistolae criticae pag. 65. demonstratum ivit, doctissimum Romanorum poëtarum prava Codicis lectione aliquando in fraudem fuisse inductum: tamen pervelim scire, qua tandem auctoritate restitutam Theocrito vocem Toupius muniendam putarit. Polybiani certe loci (X. p. 835.), quem addidit, auctoritatem nullam esse, sponte quivis intelligit. Neque adiuvare Toupii rationem potest, quod Theocritus alibi Adonidem narrat ἐν ὤρεσι μᾶλα νομεύειν (Eid. III. 46). Variant enim in talibus

poëtae.

poëtae. Et aliis quidem Adonis tum maxime, ut cum Ovidio loquar (Metamorph. X, 535), per iuga, per sylvas dumosaque saxa vagari dicitur, quum venatoris personam et partes ei tribuunt. Hinc fortasse corrigendus est locus PROPERTII Lib. II. Eleg. XIII, 55, quem HUSCHKIUS nuper, sagacissimus Criticus (Epistolae criticae p. 51), non persanavit quidem, sed ad sanitatem tamen propius adduxit:

Testis, cui niveum quondam percussit Adonin
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illic formosum gemuisse, in saltibus illis
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.

Editiones vitiose exhibent: Illic formosum iacuisse paludibus illis. Sed poëta mihi respexisse suo more videtur vel Theocriti locum, si modo carmen Theocriti est, XX, 35.

αὐτὸν Ἄδωνιν
Ἐν δρυμοῖσι φίλασε, καὶ ἐν δρυμοῖσιν ἔκλαυσεν,

vel Bionea ista, Eid. I, v. 19.

Ἁ δ' Ἀφροδίτα
Λυσαμένα πλοκαμῖδας, ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται
Πενθαλέα.

Vix opus videtur plura nunc subiicere ad meam Theocritei versus emendationem vel tuendam, vel exornandam, ut quam BECKIUS, Vir eruditissimus, iampridem luce publica dignam existimavit. Is re-

tento, quod proposueram, scribendum praeterea suspicabatur:

Ἄωδωνις χ' ὡραῖος ἐπ' ἀκτᾷ μᾶλα νομεύει.

V. Commentationes eius academicas de interpretatione veterum scriptorum, pag. LXXXVIII. Interim, ne aut veritatis studio aut amicitiae officiis defuisse videar, serio admonitos cupio lectores, mea ut non amplectantur ante, quam ea ponderaverint, quae acutissimus IACOBS in Prolegomenis ad Bionem et Moschum p. VI. seq. de hoc ipso loco disputavit. Ab tali enim emendatore lubenter mihi patiar palmam praeripi. Sed quae nuper coniectura excidit Musaei editori Lipsiensi in Auctario Emendationum p. 44, hanc, quia Reiskianis peior est, ne meis quidem hoc in genere lusibus anteponendam esse existimo.

CAPUT II.

Pertractatur nobilissimus Theocriti locus in Epithalamio Helenae. Νὺξ nusquam pro Σελήνῃ, neque Nox pro Luna. Ἄναξ de utroque Deorum sexu. Pindari locus explicatus. Ἀνιέναι intransitive ponitur. Verborum τρέχειν, θέειν, currere, exquisitae et rariores significationes.

In elegantissimo illo carmine, quod Helenae nuptiis dicatum a Theocrito est (Eid. XVIII), Spartanae virgines, choro ante cubiculum instituto, felicem praedicant sortem Menelai, cui prae tot aliis praestantissimis viris contigerit, ut nobilissimam sibi pulcherrimamque puellam matrimonio iungeret. Qua gratulatione honestum quasi vestibulum aperitur ad venustatem et caeteras virtutes Helenae concelebrandas. In his autem laudibus in primis comparationes quaedam eminent: quibus ut cogitari nil potest, neque ad sensum iucundius, neque ad exornationem carminis exquisitius: ita nullus in toto Eidyllio locus invenitur, qui interpretum ingenia magis exercuerit. Consentaneum itaque videtur, eum per partes tractare. — Prior comparatio haec est:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
Πότνια νὺξ, ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
Ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἡμῖν.

Qui versus etsi non sunt ita obscuri aut depravati, ut de mente ac sententia poëtae ambigi possit: tamen in iis oratio, diligentius considerata, duplici videtur incommodo laborare. Primum enim in priore versiculo desideratur particula, quae comparationi inserviat, siquidem durius est, quod nonnulli suaserunt, voculam ἅτε ex sequenti versu retorquere ad primum. Deinde verba πότνια νὺξ non habent, quo recte referantur. Quo autem plures fuere, qui Criticam loco emendatricem admoverent; eo minus instituti ratio patitur, omnes denuo coniecturas recensere, quarum in optimis editionibus mentio iam facta est. Immorari paullulum lubet in his, quae post HARLESII editionem proditae, criticam nondum censuram subierunt: de caeteris, quas nuper ANTONIUS DREXL in Spicilegio observationum in Theocritum p. 92 — 100. erudita ubertate diiudicavit, brevi liceat et universa admonitione defungi.

Quemadmodum igitur TOUPIUS sua correctione verba violentius disiecit, ordinem turbavit, facilitatem constructionis impediit: ita caeteri in eo videntur a veritate aberravisse, quod transpositione versuum, in qua communem emendationum suarum velut arcem posuerunt, vel sententias, certo inclusas ac definito versuum numero, constitutos ultra terminos proferrent: id quod HEINSIO potissimum accidit: vel membrorum tollerent concinnitatem, duasque comparationes, ab Aurora alteram, alteram a

Vere

Vere petitam, in unam imaginem compingerent ac veluti condensarent. Quo nomine REISKII et KOEHLERI conamina reprehendenda veniunt. Accedit, quod ratio nulla apparet, quare puellae in comparatione simpliciter instituta, neque ullo animi repentino motu concitata, sed leniter fluente, et ad magnam non modo membrorum, sed singulorum quoque verborum concinnitatem comparata *), confestim ad Noctem sese converterint, eamque per apostrophen quamdam appellarint. Quod enim AHLWARDUS V. Cl. ideo factum hoc existimabat, quoniam Epithalamia illa noctu fuissent decantata, id certe non magis probabitur idoneis iudicibus, quam quod GAIL, novissimus Theocriti editor atque interpres, in secunda et plena carminum Theocriteorum editione, (Paris. 1792. 8.) p. 469. subnotavit: pour mieux marquer cette opposition (noctis et aurorae), l'auteur fait une apostrophe à la Nuit.

Princeps exstitit ELDICKIUS, qui, servato ordine versuum, restituere membrorum aequalitatem,

 et

*) Explicavit hoc Arethusae auctor p. 9. 174. Plane diversa ratio est loci Theocritei, Eid. II, 79, quem amicus aliquando mihi reponebat. In illo liberior est cursus narrationis exemtae concinnitudinis vinculis. In nostro aequalitas et quasi orbis orationis, per versus 26 — 31 parili modo fusae, obstabat, quo minus arbitrium poëticum variandae illius libidinem induceret.

et particulam comparationi necessariam apto loco subinferre tentaret. Eius correctionem FINCKENSTEINII nuper non tam versio, quae a sensu recedit, quam dilucida et accurata explicatio (Arethusae pag. 173) nobilitavit:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν ἌΤ' ἔφαινε πρόσωπον
Πότνια ΝΥΧΘ', ἅτε λευκὸν κ. τ. λ.

Eldickii vestigiis institisse BINDEMANNUS videtur, cuius ratio in Wielandi Mercurio (April. a. 1792. p. 338.) primum proposita, dein in germanica, quam Berolini a. 1793. emisit, Theocritearum reliquiarum versione (p. 374) repetita et copiosius declarata est:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν ἄτ' ἔφαινε πρόσωπον
Πότνα νύχθ', ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνι ἀνέντι —

Qua in correctione me non imaginis oblatae animo novitas offendit, qui tribuere aliquid didicerim poëtarum libertati; sed offendit insolentia loquendi, qua emendator dativis suis *νυκτὶ* et *χειμῶνι* exprimi voluit in Gegenwart der Nacht, in Gegenwart des Winters; offendit item mutandi audacia, denique epitheti, quod nocti adiiçitur, ignavia et magna hoc in loco ieiunitas.

Neque vero praetereunda est HUSCHKII coniectura, quam Gothana Theocriti editio, Iacobsii studio renovata, p. 162 suppeditat. Legendum ille suspi-

suspicabatur: Ἃ ὡς ἀντέλλοισα — et πότνια νὺξ ἄτε, quae (Helena) ut veneranda exoriens Luna. Persuaserant enim viro doctissimo operosae nonnullorum observationes, Νύκτα Graecis pro Σελήνη, Noctem Romanis pro Luna dici. Quod falsissimum est. Quamquam ipse Burmannus id docere annisus est, primum ad Valerium Flaccum p. 473, tum ad Calpurnii eclog. I, 77. p. 558, denique ad Virgilium Aen. X, 162, cui inter recentiores etiam ii accesserunt, quorum nomina vulgo pro argumentis sunt. Doctrina Burmanni ne quem forte posthac deludat, ut me quidem diu delusit; volo commentum illud tribus verbis redarguere. Fluxit nimirum error ex eo, quod Viri docti aut ignorarent, aut confunderent mythicas rationes poëtarum, qui, inde a Tragicorum potissimum aetate, Nocti etiam, ut Lunae, ad imitationem currus Solis, equos tribuerunt et currus, ipsamque matrem siderum appellaverunt, quam sequantur stellae tamquam liberi. V. Heynii Excursus ad Virgil. Aen. II. To. II. p. 289. et ad Tibullum p. 100. Poëtica haec idiomatum tamquam communicatio postquam ingeniosis hominibus placuisset: introducta est subinde inter utramque Deam aliarum quoque rerum communitas et consociatio. E pluribus, quae huc pertinent, mythorum enarratoribus relinquenda, nunc unum illud attingam, Nocti pariter atque Lunae Somnum constitui aurigam. V. Statii Theb. II, 59. 60. XII, 307. Claudian. b. Gild. 213. Iam quum Nox extulisse dicitur

tur sidereum caput (Ovid. Metam. XV, 31), aut ipsa assurgens cingi astris (Valer. Flacc. V, 567, quamquam is versus iure suspectus est Heinsio), ideoque apparere aurea, h. e. ἀστερίη (Arat. Phaenom. 695), quae puro coelo fulgeat (Calpurn. Eclog. I, 77, καθαρῇ ἐνὶ νυκτὶ, Arat. Prog. 51); quum matris sequi currum lascivo sidera fulva choro finguntur (Tiull. II. Eleg. I, 87); poterant sane proclivi errore ista omnia trahi ad Lunam, quam poëtae, tum graeci, tum latini, imaginibus haud dissimilibus illustraverunt. V. Herrmanni Mythologia Lyricorum p. 59. Sed vocanda erant in auxilium poëtarum loca, ubi, Noctem hac ratione describi, manifestis et indubitatis appareret indiciis. Opacae noctis iter in memorabili illo contextu Virgilii (Aen. X, 162) nihil movit Burmanni animum: afferenda igitur sunt, quae percellant. Qualia illa sunt apud Orpheum Hymn. in Noctem: Κυαναυγὴς, ἀστεροφεγγὴς, v. 3; ὑπνοδότειρα, νυχαυγὴς, v. 8; ἢ φάος ἐκπέμπει ὑπὸ νέρτερα, v. 10; pariter H. in Astra VI, 3. ἀστέρες οὐράνιοι, Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης; aut apud Euripidem Ion. 1150. μελάμπεπλος δὲ Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς ὄχημ' ἔπαλλεν, ἄστρα δ' ὠμάρτει θεᾷ. Aliquantum diversa ratio est versus Euripidei in Phoenissis 546, ubi Valckenarius verbis νυκτὸς ἀφεγγὲς βλέφαρον descriptionem putabat Lunae contineri. Sed fallebatur Vir Summus. Obstat enim adiectum epitheton ἀφεγγές· obstant etiam astronomicae rationes, iubentes verba simpliciter

citer de Nocte intelligi, quae cum Sole annuas vices paritatis lege expleat. Huc etiam ducit nos parallelus locus Philonis Iudaei p. 734. E. πάντα ἰσότης, τά τε κατ' οὐρανὸν καὶ τὰ ἐπὶ γῆς, εὖ διετάξατο νόμοις καὶ θεσμοῖς ἀκινήτοις. τίς γὰρ ἀγνοεῖ τοῦθ', ὅτι ἡλίῳ μεμέτρηνται πρὸς νύκτας ἡμέραι, καὶ πρὸς ἡμέρας νύκτες ἰσότητι διαστημάτων ἀναλογούντων. Reliqua loca si ad eumdem modulum exigantur; non arbitror, citius futurum esse, qui Burmanni commento in posterum fidem conciliet, quam qui Lunam etiam pro Nocte, Noctem pro Sole antiquis poëtis dictam fuisse contendat. — Sepultis ingeniis quid non affingimus philologi!

Neque enim firmius fuit fundamentum, cui suas nuper coniecturas superstrueret HEINRICHIUS, Observatt. in auctores veteres p. 70, corrigendum ratus:

Πότνια Νὺξ ἄτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
Ἀὼς τ' ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον.

Plura sunt in hac correctione, quae displiceant; illud palmarium, quod Νὺξ pro Luna accipitur. Hinc etiam sponte iudicabitur, cur acquiescere in Codicis Vaticani lectione nequeamus, quam humanissimus Vir, applaudentibus aliis, ibidem eodem modo commendavit. Ea sic habet:

Ὡς ἀνατέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
Πότνια Νὺξ, ἄτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.

Gratiam tamen apud nos iniit Heinrichius, qui lectioni codicis non bonae bonum sensum subiiceret, nec poëta indignum. Fuerunt enim, qui, ingenio incertum, an Wartonianae editionis usu, ad eamdem lectionem delati, Menelai sponsam non dubitarent cum Nocte comparare. Ecce tibi verba PAGNINI, Itali interpretis (Annotazioni p. 104): Io credo di poter racconciare questo passo con leggerissimo cambiamento: Ὡς ἀνατ. — Come sorgendo la veneranda Notte discopre il suo vezzoso sembiante, come il discopre la candida primavera al terminare del verno. At quis umquam, sana mente praeditus, Nocti tribuit *καλὸν πρόσωπον*, aut suam voluit cum ea puellam comparari? Praetermisissem haec, quae absona sunt, nisi mentem tetigisset AHLWARDI nota, (Zur Erklärung der Idyllen Theokrits, Rost. 1792. p. 153), qui, in quo ipse offendit, alios reprehendit. E duabus enim, quas proposuit, coniecturis sicut unam ex Pagnini notatis arreptam arbitrere: ita etiam alteri, qua legendum statuit,

Πότνια νὺξ, ἄτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος
Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,

tanta intercedit cum Koehleriana similitudo, ut, dum hanc repudiavit, vir doctus suo se ense iugulasse videatur. Koehleri autem correctio ob quae ferri non possit, et nos supra significavimus.

Claudat

Claudat agmen emendatio DREXLII, hominis satis ingeniosi, qui ad veritatem proxime accessisse sibi videbatur rescribendo:

Νυκτὸς ἄτ' ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
Πότνα ἀὼς ἢ λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.

Cuius emendationis quo minus vel elegantia agnoscatur, vel probabilitas assensum eliciat, obstare dicetum duritiem structurae, tum mutandi licentiam.

His praemissis, quum area sit perpurgata; restat, ut exponamus, quo modo nos Eldickii nutum sequuti, unius litterae immutatione genuinam poëtae scripturam instaurandam esse arbitremur. Legendum*):

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν Ἄτ' ἔφαινε πρόσωπον
ΠΟΤΝΙ Ἄναξ, ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος·
Ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἡμῖν.

Wie ihr reizendes Antlitz die hehre
Königin Eos
Strahlend enthüllt; wie der Lenz nach
entwichenem Winter uns lächelt:
Also strahlet auch uns der goldenen
Helena Schönheit.

Qua ratione ut satis cautum putamus, ne turbetur

 oratio-

*) Huius loci et aliorum quorumdam emendationes si quis aliquando verbo indicatas legisse meminerit in Ephemeridibus univers. litterariis, quae Ienae in lucem prodeunt; sciat is, ne auctorem furti incuset, eum, repetendis illis et uberius hoc loco firmandis, non expilavisse nisi sua ipsius scrinia.

orationis concinnitas, neu coalescant in unam imaginem, quibus duplex comparatio continetur: ita nemo, opinor, mutatum reprehendet vocabulum *διέφαινε*, qui reputaverit animo, simplicis verbi haud minorem hic esse vim, quam compositi, quod ex versu 28 huc ablatum, facilitatem comparationis impediebat. Denique, quod caput est, expulsa iam tandem eo, quem diu temere occupaverat, loco *πάντια* Νὺξ nihil amplius negotii Criticis facesset. Omine enim valde bono cessit Aurorae appellationi, non illi longius arcessitae, nec redundanti otiose, sed quae novam comparationi virtutem et insignius robur conciliare videatur. Pronus autem lapsus erat librarii in usu vocabuli *ἄναξ* exquisitiore; in cuius vocabuli locum verba substituit, facta mentione Aurorae noctis amatori sponte obvenientia. Nimirum in verbis iis, quae antiqui poëtae de utroque genere adhibuerunt, qualia sunt *ὁ καὶ ἡ θεὸς* (v. Vossius ad Catullum p. 259. Verheyk ad Antoninum Liberalem p. 191), *ὁ καὶ ἡ ἄνθρωπος* (v. Valcken. ad Theocriti Adoniazusas p. 395), *ὁ καὶ ἡ ἥιθεος* (v. Ernesti ad Callimachi H. in Delum v. 295) aliaque notiora, reponendum quoque est, in primis si de sexu deorum sermo est, vocabulum *ἄναξ*. Quem eius usum, olim ignoratum a plerisque, ab aliis impugnatum, ut fit, et reiectum, quamvis MITSCHERLICHIUS, Vir Celeberrimus, in praeclara nota ad Hom. H. in Cererem v. 58. sic videretur a suspicione vindicavisse, ut nos quidem cum HUSCHKIO (Epistolae crit. p. 82) amplecti illius

illius auctoritatem non dubitaremus: tamen exortus nuper est Vir doctissimus, CAR. DAV. ILGENIUS, qui in nova Hymnorum Homericorum editione (p. 517. seqq.) de usu vocis denuo ambigeret, suggereretque firmamenta caussae copiose et coniuncte, tum infirmandis contrariis, tum suis confirmandis. Quamobrem non licet ab hoc loco ante discedere, quam, ponderatis argumentis omnibus, quibus Vir doctissimus ad labefactandas Mitscherlichii rationes usus est, et huius sententiam, et nostram simul emendationem sustentaverimus. In qua omni disputatione dissentiendi libertatem amicitiae, qua optimum Virum a multis inde annis complectimur, candor atque integritas facile excusabit. Quod igitur Mitscherlichius primo provocavit ad locum Pindari, Pyth. XII, 6, recte, ut arbitror, et bene provocavit, tantummodo falsus in hoc, quod de Thia putaret poëtam dicere, qui diceret de nobilissima Siciliae urbe, Agrigento. At perparum profecto interest, de dea, an de urbe dicatur ἄναξ. Voluit quidem Erasmus Schmidius pro ὦ ἄνα legi ὦ ἄνασσ', sed nullis ille argumentis inductus, nisi quae ipse ex insolentia usus arripuisset. Ilgenius autem quod Scholiasten negat legisse ὦ ἄνα, licet interpretatus sit ὦ δέσποινα, quia ad illustrandum rariorem usum τοῦ ἄνα haud dubie aliquid additurus fuisset; miror equidem amici modestissimi paene immodestam postulationem, qui plura voluit illustrationis caussa ab Grammatico addi, ubi, quae adderet homo dili-

gens, sed idem parcus verborum, plane non habebat. Tantum ergo abest, ut glossam eius ex textu vel a scribis, vel a primis editoribus esse correctam putem, ut ex hac ipsa glossa glossematis, quod in controversiam venit, veritatem defendam. Sed quid multa de lectione? Dat nobis Ilgenius, germanum esse ὦ ἄνα, et Scholiasten vere ita legisse: nihilo minus tamen, quod, quo referendum sit ἄνα, interpretes fluctuent, usum vocabuli femininum dubium manere atque incertum profitetur. Alii enim, auctore Scholiasta, novam statuunt esse apostrophen ad Proserpinam; alii ad Nympham Agrigentinam, tutelarem urbis, referunt. Ilgenius autem neque de Proserpina, neque de Nympha, aut numine urbis tutelari, capiendum locum existimat, sed de Agrigento ipso, ut poëta urbem censeatur per quamdam prosopopoeiam alloquutus. Id verum sane est, Ἀκράγας masculini esse generis, ut poëta urbem, in personam mutatam, tamquam virum alloqui potuerit. Confirmant hoc Polybii quaedam loca; non is quidem, quem Ilgenius ipse adduxit ex Historiar. lib. IX, 21. p. 175. ed. Ern., propter casus secundi ambiguitatem nihil fidei afferentem; sed alia loca, ut Hist. I, 17. T. I. p. 40. ed. Schweighäus., et plura fortasse, quae non opus est inquirere, quum longe alia sint Ilgenianae sententiae impedimenta. Dabo itaque integrum Pindari locum, quemadmodum interpunctus est a Viro doctissimo et explicatus, ut, quid sit, quod reprehendam, plane perspici queat:

λίτέω σε, Φιλάγλαε, καλ-
λίστα βροτεᾶν πολίων,
Φερσεφόνης ἕδος, ἃ
τ' ὄχθαις ἔπι μηλοβότου
ναίεις Ἀκράγαντος εὔ-
δματον κολώναν· ὦ ἄνα,
ἵλαος ἀθανάτων
ἀνδρῶν τε σὺν εὐμενείᾳ
δέξαι στεφάνωμα τόδ' ἐκ
Πυθῶνος εὐδόξῳ Μίδᾳ.

Hic Ilgenius censet poëtam non ad id, quod praedicati loco est, *καλλίστα βροτεᾶν πολίων*, sese accommodare, dicentem *ὦ ἄνα, ἵλαος* cet., sed ad id, quod pro subiecto sit, *Ἀκράγας*, quod nomen reticeatur. Constructionem vero putat hanc esse: *ὦ ΑΝΑ (Ἀκράγας), Φιλάγλαε, καλλίστα βροτεᾶν πολίων, ἕδος Φερσεφόνης, Α Τ' ἐπὶ ὄχθαις μηλοβότου Ἀκράγαντος εὔδματον κολώναν ναίεις, αἰτέω σε, κ. τ. λ.* Iam etiamsi concedamus tantisper, verba sic strui debere, uti struxit Ilgenius: tamen, nisi prorsus fallimur, ex omni nexu et complexione verborum necessitas oritur, in vocabulo *ἄνα* femineum sexum agnoscendi. Obsecro amicum per suam ipsius perspicacitatem, si quis ista legerit latine hunc in modum conversa: O REX, splendoris amica, pulcherrima urbium, Proserpinae sedes, QUAE in collibus Acragantis habitas, etc., quis tandem tam abnormem loquendi licentiam perferat? Amplius dicendum et ingenue profitendum est. Ista structura verborum,

ad

ad quam Vir doctus confugit, nemini, credo, probabitur, cui cor saepius salierit, Pindari iterata lectione commotum. Removenda est post vocabulum κολώναν maior interpunctio, et tres versus priores de urbe intelligantur, sequentes inde a verbis ἄ τ' ὄχθαις ἔπι — ὦ ἄνα cet. de Nympha, cui poëta Reginae nomen aptissimo loco imposuit. Sentiet lector, Pindarico flumini assuetus, quam idonea sit et efficax ista verborum consequutio, cum vi quadam sistens veluti gradum orationis, quae cursim ferebatur antea et provolvebatur. Sufficiant haec de Pindari loco. Qui si recte a nobis tractatus est, ducem se nobis atque vindicem ipse praebebit, caeterorum locorum momenta et indolem investigaturis. Et in CALLIMACHI quidem fragmento (Bentl. CV. p. 477. Ern.) quum Ilgenius duriorem sese ostendit Is. Vossii (ad Catullum p. 259) correctioni: Δὴν δηναιογλύφου, ὦ ἄνα, ἦσθα σανὶς, non contendam ego adversus amicum, modo ne ipse Bentleianam: Δηναίου γλυφάνῳ ἄξοος ἦσθα σανὶς, verisimiliorem esse contendat. Quamquam hanc etiam Toupius Cur. Noviss. in Suidam p. 219 suam fecit. Acquiescamus uterque in optima emendatione Huschkii l. c. p. 82, quae ut sensus facilitate commendatur, ita controversum vocabuli usum nobis vicissim commendat:

Οὔπω Σμίλιδος ἔργον ἐΰξοον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμοῦ
Δηναίου ἄγλυφος, ὦ ἄνα, ἦσθα σανίς.

In

In hoc autem loco etsi Huschkio lubenter sum adstipulatus: tamen in Euripidis Troad. 98. non invenio satis idoneam caussam, quae lectorem iubeat Ioh. Brodaei sententiae magis accedere, ἄνα exponentis per ἄνασσα, quam Ios. Barnesii, qui verbum illud pro ἀνάσηθι positum arbitratur. Sic enim et Sophocles verbum adhibuit Ai. 194, et pluribus locis Homerus. Verum SUIDAE testimonium, vereor, ne immerito repudiaverit Ilgenius, monentis de eodem vocabuli usu, et ad Aeschyli auctoritatem sic provocantis, ut de errore aut vitio Glossographi vix possit homini non nimis suspicioso suspicio ulla suboriri: Ἄναξ, θηλυκῶς, οὕτως Αἰσχύλος. Neque ego dubito, quin Criticorum sagacitas plura olim in lucem prolatura sit exempla, quae mutata librariorum stupore, istum usum vocabuli tueantur. Laetabor interea, si meae Theocritei versus emendationi contigerit tum aliorum iudicum, tum maxime Ilgenii mei assensio, quam unam quaerere in convincendo adversario, humanissima voluptas est. Caeterum quod Theocritus hoc loco Auroram Reginae titulo insignivit, id, meo quidem sensu, nil habet offensionis in comparatione, cuius singulae partes et per se satis poëtice tractatae exornataeque sunt, et ad Helenae laudes augendas concordissime conspirant; neque omnino res mira videbitur ei, qui communem istam diis deabusque omnibus appellationem fuisse meminerit. Cf. omnino IAC. BIAGI copiosissima dissertatio de voce Ἄναξ, quae reperitur in Monumentis Graecis

ex Museo Iac. Nanii ab illo Viro docto editis Rom. 1785. 4. pag. 159 seqq.

Transimus ad alterum hemistichium. In quo, unusquisque intelligit, secundum nostram rationem λευκὸν ἔαρ poni casu recto, nec pendere a verbo ἀνιέναι, cui interpretes parum probabiliter hoc loco emittendi seu dimittendi notionem subiecerunt. Tametsi id novis acuminibus etiam Ahlwardus defendit. Absolute potius, seu intransitive, accipiendum est χειμῶνος ἀνέντος, cessante, soluta hieme (ita solvitur acris hiems apud Horatium, χείματος οἰχομένοιο Meleag. Carm. II, v. 1); suadente id iam glossemate codicis Vaticani, παυσομένου. Sed quia inter Philologos dubitatio nuper commota est de intransitiva huius verbi potestate; nostrum est, eam aliquot exemplis munire. Parum autem id est, advocare huc loca, in quibus ἀνιέναι sic iungitur infinitivis aut participiis activis, ut, si sensum magis spectes quam significationem, de remissione aut cessatione explicari, vel potius intelligi utcumque, possit. Ut apud Thucydidem I, 129. (Tom. I. p. 181. ed. Bipont.) καί σε μήτε νὺξ, μήθ' ἡμέρα ἐπισχέτω, ὥστε ἀνιέναι πράσσειν τι, ὧν ἐμοὶ ὑπισχνῇ, Euripidem Iphigen. T. 381. ἡμεῖς δ' οὐκ ἀνίεμεν πέτρους βάλλοντες. Multo minus huc facit Homericum illud, μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ex Il. κ, 251, quod Drexlius attulit. Afferenda sunt talia, quale illud est Herodoti IV. p. 347. ed. Wesseling. οὐ γὰρ ἀνίει

ἀνίει τὸ πνεῦμα; aut Sophoclis in Philocteta 639. ed. Brunck. (v. 647. Gedick.) ἐπειδὰν πνεῦμα τοὐκ πρῴρας ἀνῇ, v. 764. (776) ἕως ἀνῇ τὸ πῆμα τοῦτο τῆς νόσου τὸ νῦν παρόν· aut Euripidis denique in Oreste v. 227. ὅταν ἀνῇ νόσος, quem locum contra Heathium bene defendit Brunckius; et in Bacchis v. 661. οὔ ποτε λευκῆς χιόνος ἀνεῖσαν εὐαγεῖς βολαί. Adde Xenophontem Cyrop. I, 4. §. 21. p. 70. Zeun. ὅσοι δὲ παραλλάξαντες αὐτῶν ἔφθασαν, κατόπιν τούτους ἐδίωκον, καὶ οὐκ ἀνίεσαν, ἀλλ' ἤρουν τινὰς αὐτῶν. Incertus auctor fragmenti apud Suidam v. Ἀνίει, pag. 209. οἱ δὲ τὸ πολὺ τῆς τόλμης παρελελύθεισαν. οὐ μὴν ἀνίεσάν γε, ἀλλὰ παρακελευόμενοι σφίσιν αὐτοῖς πάσῃ δυνάμει προσέκειντο τῇ πολιορκίᾳ. Alciphron Epistol. I. p. 54. ed. Bergler. ἔρως ἐνέσκηψε καὶ ἐντακεὶς οὐκ ἀνίησιν. Heliodorus VIII, p. 371. ὁ μὲν ἔρως οὐκ ἀνίησιν, ἀλλ' ἐπιτείνει πλέον. Quapropter quum tanta sit scriptorum optimorum in illo usu verbi auctoritas; tanta etiam praestantissimorum Criticorum in eo tuendo consensio (cf. Brunckius ad Sophoclem To. II. p. 493. et, quos laudavit, Piersonus Verisimilium p. 63. et Valckenarius Diatr. Euripid. p. 234): nollem sane, Facius, Vir egregius, ad Euripidis Orestem v. 699 aliquot Tragicorum loca coniecturis sollicitavisset.

Longius, quam putaram, factum est hoc λεπτολόγημα de duobus versiculis. Sed hanc prolixitatem genuit non tam meae qualiscunque suspicionis defen-

 dendae

dendae studium, quam discordia recentissimorum interpretum, qui locum tanta coniecturarum multitudine ac varietate distraxerunt, ut difficile esset ex ista opinionum voragine citius emergere. Haec autem illorum dissensio quum non aeque gravis et magna reperiatur in altera comparatione, ad quam nunc tandem accessimus; iccirco huius examen profligare celerius et ad exitum perducere licebit. Nam illas quidem correctiones, quae sponte se offerunt Harlesianas notas evolventibus, nec hic, viae nostrae et instituti memores, persequemur.

Πισίῃ ΜΕΓΑΛΑΙ ΑΤ' ΑΝέδραμε κόσμος ἀρούῃ
Ἢ κάπῳ κυπάρισσος, ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος,
Ὧδε καὶ ἀ ἐοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

In his versibus Critici rursus tentarunt variis modis efficere, ut interserendo aliquo vocabulo, quod cum πισίῃ ἀρούῃ coniungeretur, membrorum concinnitatem restituerent, quae adamata in primis Theocrito, collocationem verborum illuminat singulasque imaginum partes absolvit. Sensit id iam et instituit elegans interpres THEODORUS VILLA (ad calcem Coluthi, italica versione et notis illustrati, Mediolan. 1753), arrepta Calliergi emendatione, ὕγμος:

E qual s'alza ne' campi il solco, e quale
E' il cipresso ne l'orto, o va nel corso
Tessalo corridor; tal fregio a Sparta
La di guance rosate Elena accresce.

Eamdem

Eamdem rationem novis nuper argumentis AHLWARDUS commendavit; proposuit etiam DREXLIUS, auctam novâ correctione πίειρος. Sed praeterquam quod vocabulum κόσμος, codicum omnium auctoritate suffultum, eliminare non licet, tum propter ipsius comparationis indolem, tum propter imitationem Virgilii, quam paullo post afferam; equidem, quod bona venia Drexlii dixerim, in sulco fertile arvum ornante ne gratam quidem aut dignam poëta imaginem agnosco. Laudarem comparationem, si ducta a segete esset, ex sulcis fertilium agrorum efflorescente. Qualem comparationem animo concepit interpres Britannus, FRANCIS FAWKES, cuius versio, liberior illa quidem verbisque solutior, sed miram spirans gratiam et venustatem, quum in his terris perrara sit; laetabuntur fortasse talium lautitiarum cupidi, si integrum ex ea locum, speciminis loco excerptum, hic invenerint:

When winter thus in night no longer lours,
And spring is usher'd by the blooming hours,
The rising morning with her radiant eyes
Salutes the world, and brightens all the skies:
So shines fair Helen, by the Graces drest,

In face, shape, size, superior to the rest.
As corn the fields, as pines the garden grace,
As steeds of Thessaly the chariot race;
So Helen's beauties bright encomiums claim,
And beam forth honour on the Spartan name.

Eleganter quidem Fawkes: as corn the fields: sed vocabulum ὄγμον, simpliciter positum, usurpari de segete, in notis ad Sosithei Reliquias p. 146. iam negavi. Atque haec ipsa difficultas, ex insolentia significationis oriunda, premit MUSGRAVII coniecturam ὄχμος, de qua verissime iudicavit Valckenarius ad Adoniazusas p. 152. Quae quum ita sint, omnium mihi maxime arrideret, quod SCHÜTZIUS, Vir Summus, in scholis olim suis praecepit, et post Huschkium (Epistol. crit. p. 19) etiam Goessius (commentat. in Aeschyli Agamemn. p. 70) litteris mandavit:

Αἴγειρος μεγάλα ἄτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ,

nisi lenius in promptu esset remedium, quod et caeteris iudicibus, et ipsi Heinrichio, qui vulgatae lectionis patrocinium strenue et audacter suscepit (Observationum pag. 74 seq.) facile me approbaturum esse confido. Corrigendum mihi videtur:

Πιείρᾳ ΜΕΓΑ ΛΑΪΟΝ ΄ΑΤ΄ ἔδραμε κόσμος ἀρούρᾳ,
Ἢ κάπῳ κυπάρισσος, ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος,
Ὧδε καὶ ἀ ἐοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

Wie die Saat hoch dahin wallt, ein Schmuck dem fetten Gefilde,
Und die Cypresse der Flur, Thessaliens Streitross dem Wagen:
Also prangt, Lakedämon zum Schmuck, die rosige Jungfrau.

Emendationis huius gravem habeo vindicem et adiutorem, Virgilium Eclog. V. 32 — 34.

Vitis ut arboribus decori est (κόσμος), ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus (κόσμος) omne tuis.

Sed dispiciamus singula. Λαῖον de segete usurpavit Theocritus et alibi (Eid. X, 21 et 42) pro eo, quod commune est, λήϊον. Cf. Lennepii Etymologicum p. 469. Hinc a magna et divite segete veteribus appellabantur arva βαθυλήϊα. Alpheus Mitylenaeus Carm. IV. (Analect. Brunck. To. II. p. 129) οὐ τέργω βαθυληΐους ἀρούρας, quocum conferantur Tibulliana I, 1. v. 43. — Τρέχειν autem venuste et significanter dicitur seges, per arva procurrens. Omnino enim verba τρέχειν et θέειν, ut Latinorum currere, saepius adhibentur metaphorice, vel ad velocitatem, qua res inanimae moventur, vel ad latum, quo porriguntur, tractum significandum.

Unde

Unde fit, ut, quum motionis vis non sit indita semper vocabulis, interdum elegantiae tantum sermonis vel etiam periphrasi inservire videantur. Ὀδόντων λευκὰ θεόντων (pro λευκῶν) recordamur ex Aspide v. 146, ubi egregiam loquutionem temere sollicitabat Guietus. Aspidos antiquo auctori vix adiungerem illa Gregorii Nazianzeni: σήματος ὕψι θέοντός, ex Anecdotis graecis Muratorii Ep. 146, nisi seriores in primis scriptores, sive prosa illos, seu vincta oratione usos, placuisse sibi vidissem in frequentandis verbi notionibus exquisitioribus. Sic passim occurrit de igne, praesertim fulmineo. Auctor Sapientiae Salomonis III, 7. σπινθῆρες ἐν καλάμῃ διαδραμοῦντες. Quod deinde imitati sunt latini poëtae, quorum loca Barthius ad Statium II. p. 1276. et Burmannus ad Lucani Pharsal. V, 630 congesserunt. Sed ad nostram Theocritei versus correctionem prae caeteris facit Herodes Atticus in nobilissima illa Triopii sui Consecratione, quam a Sponio (Miscellan. erudit. antiquit. Sect. X, p. 322) aliisque permultis repetitam, emendatiorem edidit Brunckius Analector. To. II. p. 300, amplissimo autem commentario nuper instruxit Quirinus Visconti, Rom. 1794. 4. Exquisitissimum est, quod Herodes v. 24 scripsit:

ἢ ποίην χιλῷ εὐαλδέϊ χλωρὰ θέουσαν,

attulitque ad eum locum Salmasius (in Crenii Museo philologico II. p. 111) plura, quae hanc loquendi elegantiam illustrent. — Denique, quod repositum

nobis

nobis est, verbum ἔδραμε non solum ad λαῖον refertur, verum etiam ad κυπάρισσον et ἵππον. Ac de ultimo, nemo est, qui dubitet. Κυπαρίσσῳ autem si quis propterea iungi posse verbum negaverit, quod compositum fere ἀνατρέχειν et usurpetur, et congruum sit arboribus succrescentibus et in altum quasi surgentibus *); dabit ille hoc, quod germanica versio assequi vix potest, graecae linguae consuetudini, qua verbum, uni rei proprium, binis aut pluribus adhiberi solet substantivis, quorum uni tantum, significationis ratione habita, accommodatum est. Exempla huius formae loquendi, quae Fischero (Proluss. de Versionibus graecis V. T. VI. p. 186), nescio, an parum recte, ex Oriente profecta in Graeciam videbatur, larga manu dederunt Dorvillius ad Charitonem p. 440, Wesselingius ad Diodorum S. I. p. 170. et ad Herodotum p. 329, Brunckius denique ad Sophoclis Oedipum R. v. 271. et Electram v. 435. Neque latini poëtae a tali iunctione verborum abhorruerunt, docentibus Burmanno et Heynio ad Virgilii Aen. VII, 187.

*) Notum est Homericum illud Il. Σ, 56, de Achille: ὁ δ' ἀνέδραμεν ἔγχει ἴσος, cui Suidas glossam suam addidit: ηὐξήθη.

CAPUT III.

Absolvitur locus de Virgiliana imitatione Theocriti. Henrico Stephano aliquot emendationes vindicantur.

Proposui hactenus aliquot locorum Theocriteorum, ex imitatione Virgilii refingendorum, specimina, unde intelligeretur a tironibus, quod viros doctos non latet, quam largum nobis spicilegium reliquerint, qui conferre utrumque poëtam instituerunt. Contulerunt enim, inde a Fulvii Ursini temporibus, non tam ut emendarent e Virgilio Theocritum, quam ut illustrarent. Quocirca miratus saepe numero sum, quid sit, quod neglectae hodie altoque silentio sepultae iaceant observationes HENRICI STEPHANI, quas in Virgilianas et Nasonianas Theocriti emendationes a se scriptas adiunxit poëtae minori editioni a. 1579. 12. Tametsi enim multa in iis occurrunt, quorum hac aetate nullus sit ad rectam et subtilem interpretationem usus: tamen eaedem acutas passim emendationes suppeditant, ex eo, quem indicavi, fonte ductas, quas, prope iniquum est, in criticis editionibus omnibus, tamquam levem mercem, plane praetermissas fuisse. Longe aliter, quam vulgo fit, de meritis Stephani in Theocritum statuemus tum, quum

quum fraudes eius patefaciendae erunt ex annotationibus IOSEPHI SCALIGERI manu scriptis, nobisque a duobus praestantissimis Viris transmissis, quorum alterum, venerandum senem, paucis abhinc mensibus exstinctum, pietate ac desiderio prosequimur, alterum, Fabricii ac Reimari merita et laudes in Hamburgensi Iohanneo felicissime aemulantem, novisque ac propriis virtutibus exsuperantem, grati animi benevolentia veneramur. Nunc quoniam oblata nobis est occasio compensandi bonis vitia; lubenter expromimus aliquot Stephani emendationes, quibus, si fieri possit, neglecti libri memoria renovetur.

In Theocriti Eidyllio I, 136. pro eo, quod vulgatum est,

Κὴξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο,

ingeniose STEPHANUM ac vere correxisse δαρίσαιντο, nisi sensus doceret et Maronis imitatio (Certent et cygnis ululae — Ecl. VIII, 55), poterat vel inde divinari, quod eamdem nuper coniecturam non sine plausu Criticorum proposuit AUG. MATTHIAE (Observation. crit. p. 43), probatam quoque HUSCHKIO (Epistol. crit. p. 84), qui ornare eam et perficere nova mutatione tentavit:

Κὴξ ὀροφῶν τοὶ σκῶπες ἀηδόσι δαρίσαιντο.

E tectis strix violenta canat. Quamquam ego quidem huius mutationis caussam nullam reperio. Sed Stephanianam tuetur etiam imitatio recentioris poëtae, cuius epigramma, Palladae laudibus

consecratum, legitur in Analectis Brunckii To. III. p. 250. n. CCCCLXVIII.

Εἰ κύκνῳ δύναται κόρυδος παραπλήσιον ᾄδειν,
Τολμῷεν δ' ἐρίσαι σκῶπες ἀηδονίσιν,
Εἰ κόκκυξ τέττιγος ἐρεῖ λιγυρώτερος εἶναι,
Ἴσα ποιεῖν καὶ ἐγὼ Παλλαδίῳ δύναμαι.

Eid. XIII, 15. Hylam excoluisse fertur Hercules, et effecisse sedula educationis cura,

Ὡς αὐτῷ κατὰ θυμὸν ὁ παῖς πεπονημένος εἴη,
Αὐτῷ δ' εὖ ἕλκων ἐς ἀλαθινὸν ἄνδρ' ἀποβαίη.

Inter varias medelas, quibus docti viri notatis verbis succurrerunt, lenitate sua et efficacia eminere mihi videtur, quam IOH. BERNHARDUS KOEHLERUS (Not. et Emendation. in Theocritum p. 45), vestigia codicis Toletani persequutus, attulit: *αὐτῶ δ' ἐξ ἕλκων*, ab ipso sumens exemplum. Sed eamdem iam adhibuerat manus medica Stephani.

CAPUT

CAPUT IV.

Concinnitas Theocriti in componendis carminibus. Versuum intercalarium aequalis collocatio. Utraque ex observatione Eidyllii I. et VIII. depravatissima loca restituuntur. Ἀκταίνειν et ἀκταινεῦν, verba rariora.

Attigi iam eo in libro, quo indolem ac virtutes carminum Theocriteorum, ad genera sua revocatorum, adumbrare conatus sum (Lips. 1794. p. 9. 11), artificium poëtae nostri in disponendis elaborandisque versibus, qui vel singuli cum magna verborum pariter atque membrorum concinnitate sibi respondeant, vel invicem iuncti certisque et aequaliter recurrentibus intervallis distincti, ita quasi dimensi ab auctore videantur, ut, licet verborum non sit summa semper conspiratio, tamen numerus versuum ad numerum eamdem habeat proportionem comparationemque. Et illa quidem concinnitas, quae in ipsa conformatione orationis conspicua est, et copulata plerumque cum versuum aequalitate ordinumque parium constantia, reperitur maxime in eo genere carminum bucolicorum, quod mimicum appellavi; haec autem versuum parili ordine ac numero procurrentium aequalitas tum in universo bucolico genere dominatur, tum in aliis etiam inve-

nitur carminibus, quae nihil cum illo commune habent. Nimirum si rem ex observationum ambagibus ad ordinis quosdam iustaeque declarationis terminos retrahere velimus, triplex reperiemus tractandi artificium, quo ista aequalitas cernatur. Sive enim poëta sic dispertivit vices cantantium, ut parilis existeret versuum numerus *); seu carmen continuum, hoc est, tale, quod non est distinctum et animatum dialogi aut amoebaeorum canticorum vigore, in breves quasdam contractasque particulas aequaliter divisit **); seu denique versuum intercalarium, quos παρεμβεβλημένους vocant, iteratione usus est ad proportionem singularum partium concinnitudinemque efficiendam ***). Tantaque fuit Theocriti in

*) Hoc ita reperitur Eid. V, 80 — 137. VIII, 32 — 60. IX, 7 — 21. Omnino autem huic carminum generi, quod amoebaeum vocant, iste parallelismus membrorum accommodatissimus est, planeque in illud cadit, quod HERDERUS, Vir Summus, (Vom Geist d. ebräischen Poësie I. p. 23) de hebraeorum vatum parallelismo pulcre observavit: Die Rede wird dadurch so wahr, herzlich und vertraulich. Bey amöbäischen Gesängen der Liebe giebts die Sache selbst: die Liebe will süsses Geschwätz, Wechsel der Liebe und der Gedanken. Kurz es ist ein einfältiges schwesterliches Band zwischen diesen beyden Gliedern der Empfindung.

**) Haec carminum virtus ut agnoscatur in Eid. III. et XVIII, debemus FINCKENSTEINII acumini.

***) Pertinent huc Eidyllium primum integrum et secundi

in ultimo potissimum genere diligentia, ut intercalatione istorum versuum mallet sententiarum tenorem

secundi prima pars, in qua sic descripti sunt et demetati versuum ordines, magna ut appareat poëtae solertia. In extremo autem carmine (inde a v. 135) idem callide instituit, ut aucta subinde magisque exardescente animi commotione, sermo Simaethae flueret liberior. Abest igitur omnis ab eo intercalatio. Caeterum de versibus illis, qui ἐπιμελῳδήματος loco ex intervallis solent iterari, nemo, quod sciam, rectius et peritius iudicavit AHLWARDO (Zur Erklär. der Idyllen Theokrits p. 121 sq.). Digna est acutissimi Viri sententia, quae tota huc transscribatur. Man muss sich die Idyllen, wenn nicht alle, doch grösstentheils, als kleine lyrische Dramen denken, die vorgestellt, oder vielmehr, wie unsere Cantaten, gesungen wurden. Der Refrain unterbricht

zuweilen, als Tutti, den Cesang, der nachher ungestört weiter fortgeht. — Die Kunstrichter also, die an mehreren Stellen den Refrain als ein albernes Einschiebsel des unwissenden Abschreibers weggestrichen haben, irren sich gar sehr. Der Refrain ist da, um dem Gesange, der als ununterbrochenes Solo leicht Langeweile machen könnte, mehr Abwechselung und Leben zu geben, und das durch den Refrain getrennte Wort erinnert den Zuhörer wieder an das Thema. Wer die Pausen und Fermaten der italienischen Musik kennt, die, sonderbar genug, nicht bloss ein Wort von dem Vorhergehenden, sondern oft gar die Hälfte eines Wortes

rem interrumpere, quam eam adhibere variationem, cui recentiores poëtae, in his IOH. HENRICUS VOSSIUS, dulce Musis graecis nomen, nostris aeternum decus, etiam satietatis vitandae caussa identidem indulserunt. Si quid enim turbatum reperimus in paucis Theocriti carminibus, atque a iusto versuum et constanti numero recessum, id negligentiae potius librariorum, quam poëtae consilio, tribuendum videtur. Proinde Critici munus versari etiam in eo debebit, ut talia loca exigat ad consuetudinem auctoris, vitiata ad sanitatem, confusa ad ordinem reducat.

Rem ut exemplis aliquot illustremus, in threno illo, qui est in Daphnidis mortem a Thyrside cantatus (Eid. I.), eum poëta modum tenuit, ut, posito aut post quatuor aut post binos versus intercalari, aliqua itidem rediret intercapedo. Non dubitamus itaque, servandae aequalitatis caussa, versum 65, qui cantilenae simplicissimum aliquod prooemium ac veluti praeludium continet *), versui 64 praeponere, ut carmen, cuius cantrices Thyrsis Musas esse bucolicas iusserat, incipiat v. 66. a verbis:

Πᾷ

tes durch eine Pause trennen; für den werden die Refrains beym Theokrit, die zuweilen den Strom des Gesanges unterbrechen, nichts befremdendes haben.

*) De eo optime iudicavit DAN. HEINSIUS Lectt. Theocrit. pag. 201.

Πᾷ ποκ' ἄρ' ἦθ', ὅκα Δάφνις ἐτάκετο; πᾷ πόκα Νύμφαι;

Eadem ex lege intercalarem versum retinendum esse apparet post v. 84, quamvis offendiculo ibi nonnullis fuerit, haud interruptam seriem orationis magis quam concinnitatem desiderantibus. Sed post v. 132. non ausim eum inserere, quoniam poëta exquisitissimo cum iudicio hunc ordinem versuum mancum reliquit atque imperfectum. Integra eum, et senties, quanta vis detrahatur de sermone Daphnidis, moribundi iamiam viribusque deficientis et spiritu. Certiorem denique ex his observationibus nacti sumus normam iudicandi de versu 107.

Ὧδε καλὸν βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσσι μέλισσαι.

Eum versum Valckenarius statuit non facile desideratum iri, si illius, qui praecedit, loco legeretur aptior. Severiorem haud dubie sententiam in eum dixisset Vir κριτικώτατος, si attendisset ad concinnitatem Theocriteam, quae istud additamentum prorsus repudiat. Nunc praeter eam considera nexum sententiarum atque cohaerentiam. Ineptum nonne est, quod Daphnis, ablegaturus Venerem in montem Idam, dicit, suaviter hic (nempe in eo, quo ipse versabatur, loco) circum alvearia susurrare apes? Quod enim Drexlius (Observatt. in Theocr. p. 59) persuadere nobis studet, voculam ὧδε non ad regionem, ubi haec agerentur, referendam esse, sed prioris τηνεὶ repetitioni servire, et utramque habere vim δεικτικήν, in eo fefellit Virum

doctum diversa ratio, quae est Eid. V, 31 — 34. Ibi, si pinguius vertas nec satis presse, licebit sane voculas τηνεὶ — ὧδε cum Reiskio interpretari ibi — ibi: tamen unius loci diversae designantur partes, quarum una propinquior erat loquenti (ὧδε), altera remotior (τηνεί), sed utraque tam propinqua, digito ut posset monstrari. Igitur non solum oppositae duae eiusdem regionis partes (τηνεί — τουτεί), sed in utraque rursus contiguae (τηνεί — ὧδε, τουτεί — ὧδε) accuratissime distinguuntur. Quod plane non quadrat in nostrum locum. Quem si velimus perpurgatum legere, versum illum, ex Eid. V, 46. margini adscriptum ex eoque, ut fit, in texta traductum, expelli oportebit.

Sed haec quaedam quasi προτέλεια sunt longioris disputationis, qua corruptissimo loco, qui est Eid. VIII, 33 — 60, ex eadem concinnitatis lege pristinum reddere nitorem ac lucem suam restituere conabimur. In eo, monitus quisque animadvertet, a poëta sic olim iuncta fuisse duorum pastorum, Menalcae et Daphnidis, cantica, ut mutua non solum in versuum numero, verum etiam in argumentis carminum orationisque compositione et habitu conspiratio ac συμμετρία deprehenderetur. At vero ut in nostris editionibus versus leguntur, adeo fluitant omnia vaganturque incerta, quae concinnitatis et aequabilis proportionis vinculis liganda erant, ut nemo fere interpretum inventus sit, quin

magnam

magnam carminis partem existimaret contaminatissimam. Proinde alii pastorum, qui canentes introducuntur, vices et ordinem permutarunt, alii aut mancum Eidyllium *), aut variis in locis interpolatum **) iudica-

*) Amplexus hanc sententiam EDWARDS editionem suam distinxit stellulis male ominatis (p. 70. coll. p. 272). Putavit enim, post v. 48. excidisse tetrastichum. Audacior Anglo fuit inter nostrates MOSCHE V. Cl., de cuius conamine mox dicetur.

**) Plura sibi vestigia grammatici interpolatoris deprehendere visus est VALCKENARIUS in Epistola ad Roeverum, pag. XIII. seqq. Eum qui refellere studuit, KOEHLERUS (Emendatt. in Theocr. p. 34) ipse versus 49 — 52 παρεμβεβλημένους et ab homine minime poëtico, Theocritum imitari auso, profectos iudicavit. Koehlero accessit HARLESIUS, Vir Celeberrimus, p. 150. suum confirmans iudicium Valckenarianae editionis consensione. Argumenta Zenodoteae severitatis si indages, (indaganda enim sunt, quae aut plane non, aut obscurius afferuntur;) ea ducta videas vel a concursu spondeorum, qui in versibus nonnullis obvii (43. 48. 58. 61. 62), a Theocritea laevitate et numeris bucolicis abhorreant; vel ab eo, quod v. 51. 52 sententia occurrat satis absurda, ut duriter Valckenarius, seu ingrata et inconcinna, ut lenius Harlesius iudicavit; vel denique a loco Callimachi (Epigr. LVI), e quo versus 59. 60 expressi sint, qui ne sedi quidem suae conveniant. Ultimum hoc quam leve sit, nemo non videt. Quo quis enim argumento vincet, versus nostros e Callimacho, non Callimachios e nostris esse expressos? Ac de sede illorum, sitne congrua nec ne, post videbimus. Secunda vero, quam afferunt, ratio elevabitur idonea verborum et explica-

iudicaverunt. In tanta discrepantia restituendorum versuum, quos cuncti laborare intellexerant, et, paene dixerim, concordi discordia, illud observasse mihi videor, eos, qui utrisque pastorum cantilenis reddere argumentorum unitatem et perpetuitatem sententiarum tentarunt, neglexisse versuum pari ordine sibi respondentium aequalitatem *); contra, qui ad hanc adverterunt animum, de argumentis canticorum com-

tione, et emendatione. Gravior est prima, ab asperitate et duritie numerorum petita, ut quae vel sola fortassis Vossium moveat. Sed expendant quaeso illorum hexametrorum castigatores ad aurium iudicium Eid. VI, 42 — 46, aliosque versus complures, in quibus poëta noluit sententiarum tenuitati adhibere lenocinia et suavitatem numerorum. Num eos quoque abiudicare a Theocrito audebunt? Dein exempla nobis dent numerorum, quos poëta in pentametris maxime frequentarit. Denique si e nostra versuum transpositione consideraverint sententiarum firmissimam compagem et quemdam quasi parallelismum membrorum, pervelim videre, an compagem illam fortuitam sint existimaturi, aut destructuri submovendis versibus, qui ipsorum auribus non satis probentur. Non tangam, quod Pagninius etiam monuit, reperiri in proscriptis versibus, quos et Virgilius legerit, et alii scriptores genuinos agnoscant. Omnium minime eos a suspicione vindicabit Eustathii auctoritas, ad Dionysii Perieg. v. 121. e Theocrito rarissimum dictionis ὑσπληγξ usum commemorantis.

*) Nuper id etiam BINDEMANNO, vernaculo interpreti, accidit. Secundum eius rationem ad Menalcae quatuor versus primos statim respondet Daphnis versibus octo 36 — 44; Menalcas

componendique artificio parum sollicitos, aberravisse a sententiarum invicem iunctarum, et nunc alludentium sibi, nunc oppositionis lege cohaerentium tenore *). FINCKENSTEINIUS autem, Vir perspicacissimus, et ante eum PAGNINIUS, licet eam induxerint canticorum distributionem, qua utrique rei consu-

 leretur;

nalcas deinde totidem pergit 44 — 52, atque postremo iterum Daphnis octo versibus decantatis 52. 60, cantui finem imponit. Violatam esse hac ratione concinnitatem, et tantum non sublatam, quivis intelligit. Adde, quod V. D. sedem versuum 44 et 48 permutavit parum probabiliter. REISKIUS autem, ut suum redderet versibus ordinem et genuinam formam, versus 49 — 52 versibus 45 — 48 iunxit, eosque omnes Daphnidi tribuit. Menalcae contra dixit esse, quae a versu 53 usque ad finem carminis legantur. Reiskium tacite, ut solebat, sequutus est BRUNCKIUS.

*) Hunc scopulum, vereor, ut satis caute effugerit CHR. IUL. GUIL. MOSCHIUS, qui nuperrime aggressus est de hoc loco commentari (in Dissert. philologicis, RUPERTI et SCHLICHTHORSTII curis Bremae prodeuntibus, Vol. III. P. II. p. 218 seqq.). Is carminis amoebaei priorem partem, a versu inde 32 ad 48, sinceram putat et genuinam. Sed in altera vulnus immedicabile ense recidendum ratus, post v. 50 Menalcae duos et totidem Daphnidis versus excidisse suspicatur, quibus suum uterque gregem ad locum aliquem invitaverit, in quo amasius conspiceretur. Tum v. 51. 52 Daphnidi tribuit, v. 53 — 56 Menalcae. Post eos rursus intercidisse quatuor versus Daphnidis, quos exceperint illa Menalcae, Δένδρεσι μὲν χειμὼν etc. v. 57—60; denique desiderari ultimum Daphnidis responsum.

leretur; tamen cur et ipsi minus mihi videantur absolvisse loci instaurationem, quam instituisse, et falsa propius veritatem adduxisse, paullo post intelligetur. Nunc enim, quo facilius noſtrum emendandi periculum cognosci, suisque ponderari momentis queat, proponemus primum versus, prouti tum transpositione restituendos putemus, tum emendatione quadam sublevandos; deinde rationis nostrae argumenta adiiciemus, ne postulare importunius lectorum assensum, quam ratiocinando eblandiri voluisse videamur.

ΜΕΝΑΛΚΑΣ.

Ἄγνεα καὶ ποταμοὶ, θεῖον γένος, αἴ τι Μενάλκας 33
Πᾷ ποχ' ὁ συρικτὰ προσφιλὲς ᾄσε μέλος, 34
Βόσκοιτ' ἐκ ψυχᾶς τὰς ἀμνάδας· ἦν δέ ποκ' ἔνθη 35
Δάφνις ἔχων δαμάλας, μηδὲν ἔλασσον ἔχοι. 36

ΔΑΦΝΙΣ.

Κρᾶναι καὶ βοτάναι, γλυκερὸν φυτὸν, αἵπερ ὁμοῖον 37
Μουσίσδοι Δάφνις ταῖσιν ἀηδονίσι, 38
Τοῦτο τὸ βωκόλιον πιαίνετε· κἤν τι Μενάλκας 39
Τεῖνδ' ἀγάγῃ, χαίρων ἄφθονα πάντα νέμοι. 40

ΜΕΝΑΛΚΑΣ.

Ἔνθ' ὄϊς, ἔνθ' αἶγες διδυματόκοι, ἔνθα μέλισσαι 45
Σμάνεα πλαρεῦντι, καὶ δρύες ὑψίτεραι, 46
Ἔνθ' ἀ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται· αἰ δ' ἄν ἀφέρπῃ, 43
Χὠ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι, καὶ βοτάναι. 44

ΔΑΦΝΙΣ.

Παντᾷ ἔαρ, παντᾷ δὲ νομοὶ, παντᾷ δὲ γάλακτος 41
Οὔθατα πλήθουσιν, καὶ τὰ νέα τρέφεται, 42

Ἔνθ'

Ἐνθ' ὁ καλὸς Μίλων βαίνει ποσίν· αἱ δ' ἂν ἀφέρπῃ, 47
Χὠ τὰς βῶς βόσκων, καὶ βόες αὐότεραι. 48

ΜΕΝΑΛΚΑΣ.

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερόν· κακὸν ὕδασι δ' αὐχμός 57
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ· ἀγροτέροις δὲ λίνα· 58
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἀπαλᾶς πόθος. ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ, 59
Οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὺ γυναικοφίλας. 60

ΔΑΦΝΙΣ.

Ὦ τραύγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας 49
Μυρίον, ὦ σιμαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι. 50
Ἀκταινοῖ γὰρ τῆνος· ἴθ', ὦ κόλε, καὶ λέγε Μίλῳ, 51
Ὡς Πρωτεὺς φώκας, καὶ θεὸς ὤν, ἔνεμε. 52

ΜΕΝΑΛΚΑΣ.

Μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι Κροίσοιο τάλαντα 53
Εἴη ἔχειν, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων. 54
Ἀλλ' ὑπὸ τᾷ πέτρᾳ τᾷδ' ᾄσομαι, ἀγκὰς ἔχων τυ, 55
Σύννομα μᾶλ' ἐσορῶν τὰν Σικελὰν ἐς ἄλα. 56

ΔΑΦΝΙΣ.

* * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * *

Ταῦτα μὲν ὦν δι' ἀμοιβαίων οἱ παῖδες ἄεισαν 61
Τὰν πυμάταν δ' ᾠδὰν οὕτως ἐξᾶρχε Μενάλκας. 62

Quam proposuimus, canticorum distributionem si recte a nobis institutam esse argumentis declaraverimus; dabunt nobis hoc lectores, eadem ut opera tum omnes interpretum dubitationes remotas, tum sin-

singulorum versuum tenebras depulsas fateantur. Quoties enim quam salutarem operam sibi mutuo praestiterint carmina haec amoebaea, dilucide, credo, ex animadversionibus nostris cognoscetur.

Ac primum quidem in oculos incurrit, provisum nostra ratione esse morum exprimendorum artificio, sic, ut uterque pastorum

servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerat, et sibi
constet.

Menalcas enim confidentius paulo ac superbius loquitur, insignem affectans canendi peritiam, et ea quaerens orationi lumina, ea audacter adsciscens ornamenta, quae pastoritii ingenii tenuitatem paene exsuperent. Daphnis, modestus iuvenis, lenius in omnibus et remissius agit, sermone utens simplicissimo morumque et ingenii gratam spirante ἀφέλειαν. Quando igitur ille ἄγκεα καὶ ποταμοὺς, θεῖον γένος, crepat; hic κράνας καὶ βοτάνας memorat, γλυκερὸν φυτόν: dum ille cum Jove se comparat (v. 59. 60); hic, facta Protei mentione, acquiescit. Iactat ille non sine fiducia carminum suorum suavitatem (αἴ τι Μενάλκας — προσφιλὲς ἆσε μέλος v. 34); hic optare artis peritiam mavult, quam ponere (αἴπερ ὁμοῖον μουσίσδοι Δάφνις, v. 38). Quam orationis pulchram et efficacem conformationem non assequutus est Brunckius, reponens etiam v. 38 indicativum μουσίσδει, invitis adeo membranis. Atque hinc apparet,

paret, versus 53 — 56, in quibus terra Pelopis et Croesi talenta commemorantur, non convenire nisi Menalcae magniloquentiae; a simplicitate Daphnidis, cui in editionibus tribuuntur, vehementer abhorrere. Caeterum artem hanc Theocriti, si modo artis nomine appellanda est ratio, quam naturae venustissimus imitator ad verius exemplar expressit, artem igitur illam, dissimiles pastorum χαραχτῆρας accommodandi tum ad variationem aliquam canticorum, tum ad lectorum delectationem, mutuatus ab eo est Virgilius in Ecloga septima, cuius virtutes ingeniose aperuit is, a quo bucolica et Graeci et Romani poëtae carmina nova luce collustrata impatientissime expectamus, IOH. HENR. VOSSIUS in Hamburg. Musenalmanach a. 1791. p. 30. Add. GAIL animadversiones p. 455.

Deinde ab hac morum diversitate pendet in nostro Eidyllio omnis carminum amoebaeorum descriptio, ad eamque veluti regulam diiudicanda est. Quorum quidem carminum quum omnino ea fuerit lex, ut is, qui responderet, iisdem versibus ac numeris aut contrarium, aut maius aliquid et pulchrius diceret, vel ulla alia ratione simile quid subiiceret*): cui tandem mirum et absonum videatur, Menalcam in hoc pastoritio dramate id sibi sumere, ut ordiatur cantica,

*) Verbis usus sum Virgilii Eclog. III. To. I. HEYNII, Viri Summi, ad p. 49.

cantica, canendique materiam suggerat, Daphnidem contra subsistere in eo, ut respondeat amico, et argumenta ab illo suppeditata persequatur? Nempe hoc conveniebat lineamentis ingeniorum et animorum, quae exprimere poëta, et ad extremum aequabiliter servare studebat. Talem autem fuisse successionem carminum, quum integra legerentur, et poëta ipse diserte significat v. 30. 32. 66. 75, et plane confirmat ordo ac consequentia priorum versuum (33 — 48), qui manum corruptricem non passi sunt. In caeteris igitur qui dubitant abnormia ad normam exigere, et turbata cogere in ordinem, faciunt Theocritum adeo vel infantem, vel obliviosum, ut, quam rationem ipse et indicavisset, et sequi coepisset, eam ne agnoscere quidem et tenere potuerit. Hinc sponte intelligetur, vitio quodam laborare correctionem FINKENSTEINII, versus 49 — 52, quibus Iovis amores a Menalca afferuntur, postponentis iis, quibus Daphnis Protei se commemoratione puero suo commendat (v. 53 — 56). Apparet etiam, cum VALCKENARIO si expungantur illa (v. 59): ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ, οὐ μόνος ἠράσθην, καὶ σὺ γυναικοφίλας, desiderari nonnulla, quibus commode respondeant haec Daphnidis: ὡς Πρωτεὺς Φῶκας, καὶ θεὸς ὤν, ἔνεμε (v. 52). Praesidium denique ac firmamentum ex his, quae disputavimus, accedit suspicioni PAGNINI, verbosi hominis, at harum rerum non indiligentis, qui intercidisse existimat ultimum tetrastichum, quo Daphnis, δευτεραγωνιστοῦ partes etiam

hic

hic obtinens, carminibus amoebaeis finem imposuerit. Altrimenti, inquit, non si verifica, che i due Pastori cantato abbiano fino allora a vicenda, secondo che il verso 61 apertamente asserisce: *Ταῦτα μὲν δι' ἀμοιβαίων οἱ παῖδες ἄεισαν.* Transcurro aliud quiddam in versu 62, quo docti, etiam non admoniti, suspicionem illam iuvari animadvertent.

Affert denique nostra transpositio versuum etiam hoc commoditatis, ut sibi constet poëta in describenda pastorum conditione, quam finxit, et unde versuum amoebaeorum argumenta petiit. Menalcas puellam amabat (v. 43), Daphnis puerum Milonem (v. 47). Illi igitur reddendi erant v. 53 — 56; huic v. 51. 52 vindicandi. Menalcas oves pascebat (v. 2. coll. Eid. IX, 17); Daphnis v. 1. vocatur *βωκολέων*. Illi quum recte tribuerentur *ἀμνάδες* (v. 35); tribuendae etiam erant, transponendis versibus, *ὄϊς*, *αἶγες* (quamquam has non exspectaveras, v. 45) et *μᾶλα* (v. 56, ubi probari nullo pacto potest LENZII coniectura *σύννομι Ναὶς ὀρῶν*, MOSCHII vero grammaticis adeo rationibus repugnat). Ad eumdem Menalcam referendus erat v. 44, in quo *ποιμὴν* appellatur. Daphnidi autem quum adscriberetur *βωκόλιον* (v. 39), item *βόες* (v. 48), et ipse audiret *βῶς βόσκων*: ad eumdem pertinebat mentio phocarum (v. 52), quas Proteus fertur pavisse. Hactenus expedita omnia, facilia, et, ubi sub uno adspectu com-

 parantur,

parantur, perpetuitate quadam et nexu rationum atque argumentorum sic sibimet invicem respondentia, ut, rerum si qua vis est coniunctarum, tanta illarum conspiratio de veritate emendationis nullam admittere videatur dubitationem. Sed unus haeret scrupulus in versibus 49. 50, quem nunc demum eximere lectorum animis consentaneum arbitrabamur, quum, perpurgata nobis area, quae tot differta esset et luxaturis librariorum et Criticorum commentis, locus pateret correctioni, quam versui 51. adhibuimus, stabiliendae. In istis videlicet versibus Daphnis advocat τράγον, et αἶγας, et σιμὰς ἐρίφους, et, ne quid deesset, quod mirationem iniiceret interpretibus, βάθος ὕλας μυρίον. De ultimis his nolo rcpetere, quae Arethusae auctor bene admonuit. Nec placet referre, quibus modis cavendum putarint interpretes, ne Daphnis bubulcus ilico mutetur in caprarium *). Quasi αἰπολικοῦ ἑύπου pudere eum debeat, qui non sua armenta alloquitur, sed gregem Caprarii (v. 26. 27), quem certaminis arbitrum adsciverant. Apud illum videbat Daphnis puerum suum proximae viciniae. Blandis eum verbis arcessere conatur et ad se

*) Inter varia interpretum commenta nullum est festivius, quam quod EDWARDS p. 276 proposuit: Daphnis's real character is that of a neatherd; but he gives himself in this and his next song, the fictitious ones of a goatherd and shepherd. Caetera in eumdem modum, ut de his opus non sit verbum amplius addere.

se invitare (v. 41. 42. 47. 48). Frustra. Iram igitur simulans, gregem discedere iubet a Milone, qui superbiat (ἀκταινοῖ γάρ). Requiescit aliquantisper: mox caprum (κόλον) remittit, pueri fastum ut Protei commemoratione mitiget. Mihi quidem, fateor, haec omnia videntur egregie cohaerere et congruere; modo complectamur animo indolem carminum amoebaeorum, quae ut saepe numero a rebus, forte in oculos incurrentibus, argumenta mutuabantur, ita recitationem flagitabant gesticulatione animatam et cum actione coniunctissimam. Quis igitur cum REISKIO voc. κόλος habeat pro nomine servi, cuius membra mutila fuerint et contorta? Aut de hirco si accipiatur, ut accipi debet, quis cum alio interprete iudicet, quod hirco mandata dentur ad amasium perferenda, id pastoris ingenium et naturam bucolici carminis superare? Paene gravius mihi verbum exciderat in virum praeclarum, qui ita statuit; sed poterat iudicio eius imponere lectionis depravatio. Nauci enim est, quod vulgo scribitur: ἘΝ ΤΉΝΩι γὰρ τῆνος. Explicant scholiastae: ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ, ἢ ἐν ἐκείνῳ, τῷ ὕδατι δηλονότι. Quorum hoc structurae verborum congruit, sensui adversatur; illud sensui accommodari utcunque potest, sed structurae repugnat. Praecesserant enim haec: δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι. Quid multa? Reposui verbum et rarius, et quod sententiarum tenor postulare videretur: ἈΚΤΑΙΝΟΙ̃. Nimirum ἀκταίνειν et ἀκταινοῦν, quod Grammaticis exponitur γαυριᾶν καὶ ἀτάκτως πηδᾶν, admodum

 signi-

significanter exprimit mores et gestus pueri insolescentis, iactantisque sese intolerantius. Egregie Etymologicum M. p. 54. 34: *Ἀκταίνω ἐπὶ ἵππων. Ἀκταίνειν, τὸ μετεωρίζεσθαι, καὶ ἐπαίρεσθαι, καὶ γαυριᾶν. παρὰ τὸ ἦκται ἀκτὸς, καὶ ῥῆμα ἀκτῶ, ἀφ' οὗ Ἀκταίνω, τὸ κουφίζω, παρὰ Αἰσχύλῳ* (Eumenid. v. 36), *καὶ Ἀκταῖνον μένος, τὸ ἀνάγον καὶ δυνάμενον ἀνορθοῦν.* Pluribus hanc vocem, quae addenda est Lexicis vulgaribus, ornavit Ruhnkenius ad Timaeum p. 20. seq. ed. secundae. Libanio eamdem restituit Wyttenbachius Epist. Crit. p. 59.

CAPUT

CAPUT V.

Alius Eidyllii VIII. locus tentatus. Lacrumae et moeror in nuptiis. Χάρις, χαρίζεσθαι, χάριτας ἀποδοῦναι, gratia, dare, porrigere, obsequi, morigerari et similia de nequitia Venerea. Μίτραν καταθεῖναι.

Alius est in eodem Eidyllio locus, a multis, ut facultas tulit, politus, a nemine, quod sciam, perpolitus. Nimirum laetitia Daphnidis, quem Caprarius victorem pronuntiaverat, et Menalcae, spe victoriae deiecti, aegritudo depingitur his versibus (88—91):

Ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνήλατο καὶ πλατάγησε
Νικήσας, οὕτως ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἅλοιτο·
Ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο Φρένα λύπᾳ
Ὤτερος, ὡς καὶ νύμφα ΓΑΜΗΘΕΪΣ' ἀκάχοιτο.

Vitium ultimi versus, qui in plerisque editionibus ne ad metricas quidem leges revocatus legitur, acute perspexit AHLWARDUS (p. 109 — 114); remedium minime invenit. Nam quae ipsi coniecturae excideruntt:

Ὤτερος, οὕτω καὶ νύμφ' οὐ γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο,

vel

Ὤτερος, ὡς καὶ νύμφ' ἄγαμός τ' ἀφεθεῖσ' ἀκάχοιτο,

tales

tales sunt, quae, ut sperare fas est, suo nunc sint auctori displiciturae. FAWKES locum intelligit de moestitia novae nuptae, cui paterna domus iam relinquenda sit:

As grieve new-married maids their sires to leave,
So deeply sighing, did Menalcas grieve.

Subvenit Vir ingeniosus sensui, posthabitis poëtae verbis. GAIL autem, cuius versio quo minus graecis fida imagine respondet, eo crebrius facit ad sensum reperiendum, versum sic expressit: L'autre consterné, abattu par la douleur, ressembloit à une Nymphe qui pleure sa virginité. A qua ratione propius abeſt Arethusae auctor, tertium, ut cum magistris Dialectices loquar, comparationis quaerens in eo, quod et Menalcas, et nova nupta victi discesserint. Nec desunt veterum loca, quibus, quod negare sustinuit AHLWARDUS, moeror ac lacrumae in nuptiis commemorentur. Eleganter Catullus LXI, 81 seqq.

Tardat ingenuus pudor,
Quae tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta.

Mirum est, in re, quam natura et experientia magistra cognoscas, desiderare veterum loca. Plura tamen, si cupias, designata invenies in HEINRICHII Observatt. p. 62. Igitur ad sententiam si respicias,

ex

ex idonea versus interpretatione emergentem, quis neget, commodam posse locoque consentaneam non elici quidem, sed exprimi? Nec equidem umquam adeo os perfricabo, ut infitias eam, me intelligere id, quod quivis suo sensu assequatur, qui vel gallice conversum locum legerit vel germanice. Tamen vehementer dubito, an sanus sit. Nam ne repetam, quod dixi, sensum exprimi posse, non elici, primum discrepantia illa lectionis, quae versum nunc breviat (ἄτερος, ὡς καί), nunc facit productiorem (ἄτερος, οὕτω καί), quid portendat, Criticorum nemo ignorat; deinde forma verbi γαμεθεῖσα, quam adsciscunt, ut metro opitulentur, inusitatissima est. A quo iudicio me non deterret auctoritas Grammatici de Dialectis (p. 126. ed. Koen.), qui haud raro se passus est in errorem induci Codicum suorum corruptelis; nec movisse ea Valckenarium videtur, qui, reducto ex membranis et editionibus principibus γαμηθεῖσα, versum maluit numeris, quam verbi formam legibus grammaticis deficere. De legitima versus emendatione nondum liquet. Quocirca quamvis ne in criticis quidem rebus amem δισσομεῖν, tamen, dum veriora fuerint excogitata, induam tantisper Trillerianum ingenium, proponendis duabus coniecturis, quarum ut neutram satis certam, sic utramque duco vulgata praestabiliorem. Legi enim poterit:

ἄτερος, ὡς νύμφα ΧΑΡΙΤΑΣ ΑΠΟΔΟΙΣ' ἀπάχοιτο,

ut error natus videatur e scribendi compendio. χά-

ριτες autem eleganter dicuntur Graecis ἐπὶ ἀφροδισίων, ut Gallis les faveurs. Hinc χάριτας ἀποδοῦναι, χαρίζεσθαι. Quae trita sunt in re amatoria. Plutarch. Amator. p. 751. D. Χάρις ἡ τοῦ θήλεος ὕπειξις τῷ ἄῤῥενι κέκληται πρὸς τῶν παλαιῶν· ὡς καὶ Πίνδαρος ἔφη τὸν Κένταυρον ἄνευ χαρίτων ἐκ τῆς Ἥρας γενέσθαι. καὶ τὴν οὔπω γάμων ἔχουσαν ὥραν ἡ Σαπφὼ προσαγορεύουσά φησιν, ὅτι, Σμικρά μοι, παῖ, ἔμμεναι φαίνεαι, κ' ἄχαρις. ὁ δὲ Ἡρακλῆς ὑπό τινος ἐρωτᾶται· Βίᾳ δὲ πράξας χάριτας, ἢ πείσας κόρην; Aristophanes Eccl. v. 625. οὐκ ἐξέσαι παρὰ τοῖς καλοῖς καταδαρθεῖν ταῖσι γυναιξὶ, πρὶν τοῖς αἰσχροῖς καὶ τοῖς μικροῖς χαρίσωνται. Achilles Tatius I, cap. 9. p. 29. ed. Mitscherlich. τὸ σύνηθες τῆς κοινωνίας εἰς χάριν ἐναισιμώτερον. (Sic enim pro vulgato αἰδεσιμώτερον haud dubie legendum, auctore Tyrwhitto in Burghessii Appendice ad R. Dawesii Miscellanea Critica p. 491, licet aliam coniecturam suppeditarit Wyttenbachius Biblioth. Crit. Vol. I. P. II. p. 60.) Scholiastes Pindari ad Pyth. Od. II, v. 78. χαρίζεσθαι κυρίως τὸ συνουσιάζειν λέγεται, ὥσπερ Θεόπομπος μὲν ἐν Μήδῳ εἰσάγει τὸν Λυκαβηττὸν λέγοντα. Hesychius To. II. p. 1543. χαρίσασθαι, παρασχεῖν. λέγονται γὰρ αἱ γυναῖκες χαρίζεσθαι πρὸς συνουσίαν ἑαυτὰς ἐκδιδοῦσαι, h. e. dantes, porrigentes. Nam haec Latinorum sunt vocabula, frequentia in hoc genere cum aliis: morigerari, obsequi, obsequium praebere. Opposita sunt ἀναίνεσθαι (v. Iac. Maussacus ad Harpocra-

pocrationem pag. 34. ed. Vales.), negare. Martialis IV, 71.

Casta igitur nulla est? Castae sunt millo. Quid ergo
Casta facit? Non dat, non tamen illa negat.

Graecorum autem χάρις plane expressit Comicus vetus apud Fulgentium p. 565.

Non ego ita fui, ut nunc sunt meretrices diobolae,
Quae suam numi caussa parvi pendunt gratiam.

Plura de his verbis collegerunt interpretes ad Antoninum Lib. pag. 282. ed. Verheyk. et Ruhnkenius ad Timaeum p. 274, cui aliquot loca debemus.

Alterum emendandi periculum hoc esto: Ὦτερος, ὡς νύμφα ΜΙΤΡΑΝ ΚΑΤΑΘΕΙΣ' ἀνάχοιτο. Pindar. Ol. VI, 66. ἁ δὲ φοινικόπεζον ζώναν καταθηκαμένα — τίκτε θεόφρονα κοῦρον. Verbis poëtae νύμφα μίτραν καταθεῖσα potuit ab aliquo glossematis loco apponi γαμηθεῖσα, quod librarius deinde, litterarum deceptus similitudine, in textum intulit, eaque re versus mutandi necessitatem aliis imposuit. Caeterum de mitrae usu nota omnia sunt. Cf. prae caeteris Schwebelius ad Moschum II, 73, Schraderus ad Musaeum p. 345, et Winckelmann Gesch. der Kunst To. I. p. 197. ed. Dresd.

CAPUT VI.

Ulcus in Eid. II. nudatum. E Sapphus Odario glossema expulsum. χλωρός. Θάψος.

In variis scriptorum veterum locis, quae mature iam corruptelam contraxissent, REIZIUS mihi meus etiam Theocriti versum designabat, qui est in Pharmaceutria, praestantissimo carmine, quod Racinius caeteris omnibus anteponendum iudicabat. Ibi quum v. 59 — 62 Simaetha ancillae, cuius magico utebatur ministerio, praecipiat haec:

Θέξυλι, νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα ταῦθ', ὑπόμαξον
Τᾶς πήνω φλιᾶς καθυπέρτερον, ἃς ἔτι καὶ νῦν
Ἐκ θυμῶ δέδεμαι· ὁ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιῆ.
Καὶ λέγ' ἐπιφθύσδοισα· Τὰ Δέλφιδος ὀσέα πάσσω,

REIZIUS ultimi hemistichii verba per errorem repetita hic censebat ex versu 21, laetabaturque impense, quum SCHNEIDERI, Viri optimi et tum Reizio dilecti, tum mihi perpetua caritate et benevolentia prosequendi, consensionem ex Harlesiana editione, qua ipse uti non solebat, attulissem. Coniectabam varia; REIZIO nihil placebat. Incertus enim ipse de genuina Theocriti lectione, non acquiescebat in eo,

quod

quod facile invenire quilibet perlustrando loco potest, et in quod recentissimos etiam interpretes poëtae, AHLWARDUM et BINDEMANNUM, incidisse videas: τὰ Δέλφιδος ὀσέα μάσσω. Ultimum verum, pro ὀσέα aliud quid positum a poëta statuebat, quod versum nostrum illi, e quo male suppletus esset, redderet dissimiliorem. Ineptus sim, ea si recoquam, quae tali iudici displicuerunt. Versum igitur commendabo felicioribus ingeniis sanandum, modeste in eo conquieturus, ut per hanc opportunitatem e Scholiis, quae vulgata in hoc Eidyllium exstant, SAPPHUS elegantissimum carmen insigni menda liberem. Videlicet ad versum 88.

Καί μευ χρὼς μὲν ὁμοῖος ἐγίνετο πολλάκι θάψῳ,

Scholiastes haec annotavit: Ὁμοῖος θάψῳ, χλωρὸς, ξανθὸς — ὥς φησι καὶ Σαπφώ. IOH. CHRIST. WOLFIUS, quum sedem vocabuli in superstitibus poëtriae carminibus haud reperisset, locum ei non valde honestum concessit in Fragmentorum farragine (p. 98). Quid vero, si in eo poëmate, quod Longinus (cap. X. p. 42. ed. Toup.) nobis servavit, glossema lateat? Expelle illud ope istius scholii; exquisitam agnosces ac genuinam poëtriae scripturam. Cecinerat Sappho:

Καὐδ᾽ ἰδρὼς ψύχρος χέεται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν ἀγρεῖ, ΧΛΩΡΟΤΕΡΑ δὲ ΘΑΨΩ
Ἐμμί· τεθνάκην δ᾽ ὀλίγω ʼπιδεῦσα,
Φαίνομαι ἄπνους.

In nostris libris male legitur: χλωροτέρα δὲ ποίας.

Languidum hoc interpretamentum quis diutius ferat? — Caeterum de θάψῳ, ligno quodam, quo puellae flavum capillis colorem conciliare solebant, praeter Schreberum ad Theocriti locum, diligenter exposuit Ioh. Arntzenius de colore comarum c. VII. p. 115. χλωρὸς autem Graecis proprie dicitur de colore herbarum foliorumque, quae, pristino vigore paullatim amisso, flaccescunt et pallorem quemdam induunt. Hinc de pallore auri. V. Mitscherlichii Lectt. in Catullum p. 91. Eleganti denique translatione usurpatur de metus, aegritudinis, aerumnae et moeroris indiciis, in vultu expressis. Cf. Salmasii Exercitatt. Plin. To. I. p. 594, Gesnerus ad Quinctilian. I, 2. 18. et quos praeterea laudavit Matthaei ad Glossaria gr. minora Vol. I. p. 29. n. 40.

CAPUT

CAPUT VII.

Theocriti locus in Eidyllio IV. emendatus. Particula ἂν vel κε potentialem optativum semper comitatur; a subiunctivo abesse potest. Homeri et Theocriti quidam versus ex hac norma restituuntur.

Mirabamur aliquando, quid esset, quod, qui perpetuis Theocritum animadversionibus instruxisse videri vellent, in iis nos locis saepe numero destituerent, quibus interpretum operam atque auxilium sollicite anquireremus, quum contra in aliis, quibus carmen veluti prono et facili ac liquido alveo decurrit, molesto flumine notarum nos inundarent. Nuper a WOLFIO, divino illo Homeri sospitatore, edocti intelleximus, duas hodie in usum venisse perpetui Commentarii notiones, quarum altera perpetuam sponderet et aequabilem diligentiam atque sollertiam interpretandi, altera id duntaxat portenderet, perpetuo aliquid notarum adscriptum a commentatoribus esse, seu, ut ipsi aptius multo et significantius loquuntur, adspersum. Quamobrem conqueri desinamus summissas interpretum voces, ubi aut dicendum erat contentius, aut prorsus conticescendum. Et conticuerunt sane plerique in loco difficillimo, quem ex Eidyllio IV. promamus. Miratur ibi Battus, virulentus

lentus homo, Milonem persuadere potuisse Aegoni, rustico illi ac rudi palaestrae, ut secum Olympiam tenderet, atque in gymnicis ludis fortunam experiretur suam. Tum addit versu 11.

ΠΕΙΣΑΙ τοι Μίλων ΚΑἸ ΤὨΣ ΛΎΚΟΣ ΑΥ̓ΤΊΚΑ λυσσῆν,

Milon beredet wohl den Wolf, auf der Stelle zu rasen,

uti vertit FINCKENSTEINIUS. At sensum si requiras, nec ludere animum velis Scholiastarum graecorum somniis *), ante Ahlwardum perpaucos reperias,

*) Sat honestus his erit in imo margine locus. Τὸ λυσσᾶν ἴδιον τῶν κυνῶν· ἀλλ' ἴσως λέγει, ὅτι πείσειεν ἂν καὶ τοὺς λύκους τὸ παρὰ τὴν συνήθειαν ὑπομεῖναι. ἢ ὅτι καὶ τοὺς λύκους ἐκμήνῃ ἂν ὁ Μίλων, ὅπου καὶ τὸν Αἴγωνα τὸν ἀγροῖκον ἐπὶ τὸν ἀγῶνα ἀποδύσασθαι ἠνάγκασε. His subiiciam FAWKESII notam, ne lectores loci, abhorrentes atque reformidantes criticum ensem, leniore medicina, quae ab interpretatione exspectatur, fraudatos sese existiment: The Greek Scholiast observes, that madness is a distemper to which dogs, of all animals, are most liable: thus Virgil, Geo. III, 496. Hinc canibus blandis rabies. Hence gentle dogs run mad; at least much more so than wolves: therefore, says Battus, if Milo can prevail on the rustic Aegon to go to the Olympic games, he might persuade even wolves to run mad. Quibus si adieceris HARDIONIS notam (Mém. de l'Acad. des Inscript. To. IV. p. 526), repetitam illam tum a Pagninio, tum, suppresso auctoris nomine, etiam a Gailio in maiore editione;

reperias, qui explicationem illius serio sint meditati. TOUPIUS enim (in Appendice notarum ad Theocritum, Oxonii 1774. pag. 12) quid sibi voluerit versum exponens, non satis assequor: itaque verbis eius fideliter referendis, iudicium relinquam lectoribus. »Venustatem, ait, huius loci nemo »interpretum percepit. Respexit poëta ad versum »praecedentem, κἤχετ' ἔχων σκαπάναν τε καὶ εἴκατι »τουτόθε ΜΗΛΑ. Ubi notandum illud, εἴκατι μῆλα, »viginti oves: qui fundus sententiae. Facit »Aegon, quod lupi facere solent. Oves dilaniat. »Λυσσᾷν est proprie canum; est et luporum »famelicorum. Poëta nescio quis de S. Theo»doro 154. λύκου τε λύσσαν ἐξελὼν τοῦ ποιμνίου. »Atque hinc unice intelligendus Noster; cuius vene»rum atque elegantiarum ne centesimam quidem par»tem perspectam habemus.« At probe perspectum habuit

tione: nam in altera minore ne repetiit quidem, quod illustrationis aliquam speciem haberet: collectas possidebis opes omnes, quas interpretes admodum illiberali parsimonia exposuerunt. Hardion autem sic locum explicuit: Ce proverbe, qu'on peut appliquer à tout ce qui se feroit contre le cours ordinaire de la nature, ne me paroit fondé que sur ce que les loups supportent long temps la soif, et sont par consequent moins sujets à devenir enragés. Caeterum harum explicationum, praeter tentatam a Scholiastis, nullam norat Ahlwardus.

habuit AHLWARDUS, quid sententiarum tenor hoc loco requirat. Apponam eius verba, ne difficultates videar praeter modum adauxisse: Einzeln genommen haben die Worte und der Vers einen Sinn; allein es ist gar keine Verbindung und kein Menschenverstand darin. Wenn einer im Ernst sagen wollte: „der Mann ist sehr beredt, er kann wohl den wildesten Menschen zum Toben bringen," der spricht offenbaren Unsinn. Eben so der, welcher sagt, er kann das Schaaf wohl zum Blöcken und den Hund zum Bellen überreden. Was einem von Natur eigen ist; dazu beredet man keinen, aber wohl zum Gegentheil. — Dies auf unsere Stelle angewandt, zeigt offenbar, dass kein Sinn darin ist. Satis graviter haec et reliqua Ahlwardus, sed recte omnino et vere, ut Criticorum filiis veternum excuteret. Neque enim sani quicquam ex hoc loco extricari interpretando potest. Nisi forte difficultates eius obumbrare liceat, hoc ingeniose scilicet adhibito artificio, ut verba τὼς λύκος αὐτίκα λυσσῇν addita a Batto arbitremur ὡς ἐκ τοῦ ἀπροσδοκήτου. Quo explicationis perfugio haud raro utimur etiam iis in locis, ubi veteres haud dubie ipsi, si nos interpretantes audirent, inopinata multa et inexspectata demiraturi forent. Gaudebam ergo, quum ista Ahlwardi legerem; verum ad emendationes eius ubi perveneram, omnis subito exstincta

laetitia

laetitia est. Rescribendum putavit vel τὰς λύκος οὔ τιν' ἀμύσσην, vel οὔ τιν' ἀτύσδην seu ἀτύσδεν, vel οὐχὶ λαφύσσην seu λαφύσσεν. Quarum coniecturarum ultimam ipse optimam iudicavit. Mihi vero, aliam loco medelam quaerenti, percommode subvenerunt Schedae Scaligeranae, in quibus pro αὐτίκα, otioso vocabulo, notatam inveniebam AURATI lectionem ἀμνίδα. Quam quare etiamnum suspicer ex antiquo codice fluxisse, caussa in aprico est. Neque enim AURATO in mentem venire poterat, talem versus emendationem facere, quae, nisi perficeretur refingendis caeteris, sensum nihil iuvaret, neque SCALIGER, si in excerpendi tumultuario labore paratis opibus frui scisset, videtur illam lectionem ita nudam in chartas coniecturus fuisse. Quicquid sit, AURATI inventum mihi profuit ad verum reperiendum. Scribo:

ΠΕΙΣΕΙ τοι Μίλων ΚΑΤ ΤΩ̃ ΛΎΚΩ ΑΜΝΙΔΑ
λυσσῆν,

Milo, lupum contra rabiat, persuaserit agno.

Qua de correctione si paullo melius statuo, quam soleo de meis, veritatem eius supra omnem dubitationem evectam ratus: hanc dicentis confidentiam excusabit tum Scaligerani nominis memoria, tum auctoritas duorum litteratissimorum amicorum, quorum alter in egregio libro hunc ipsum locum sua cura dignum habuit, uterque autem coniecturam,

simulatque litteris communicatam a me acceperat, magna consensione amplexus est. Itaque ad fidem ei atque gratiam conciliandam prorsus nihil adiicerem, nisi properantem retraheret verbum πείσαι, quod servatum antea, nunc demum mutare aggressus sum. Nempe mutandi necessitatem imposuit defectus particulae ἄν. Quae ut numquam iungitur optativo, eam significationem habenti, a qua denominatur: ita potentialem optativum semper et constanter comitatur. De quo usu ac discrimine optativorum nemo, neque crebrius neque diligentius, praecepit acutissimo BRUNCKIO, cuius Comicus et Tragici etiam ex hac parte expolitissimi sunt. V. eius notas ad Aristophanem To. III. p. 17, ad Aeschyli Prom. 622. 1065, Euripidis Phoen. 514. 1211, Hecub. 1097. Add. Dorvillium ad Chariton. p. 212. Fateor equidem, me olim dubitavisse, annon haec tanta loquendi ἀκρίβεια Atticis tantum poëtis tamquam propria esset attribuenda, quum caeteri, et antiquiores et seriores, licentiae aliquid indulsisse sibi viderentur: verum excussis sedulo, quae inveniuntur, exemplis plurimis, ubi vel constanti fide librorum cum optativo potentiali particula ponitur, vel exclusa, perfacili negotio reponi potest, plane compertum habeo, inconstantiam, si qua occurrat, profectam a librariis esse, in quorum erroribus tollendis Brunckiana sit diligentia imitanda. Sic in versu Homerico, Il. V. 303, quem unum HOOGEVEENIUS (in Doctrinae particularum linguae graecae To. I. p. 91) laudavit,

laudavit, ut ἄν δυνητικὸν interdum omitti ostenderet, in illo igitur versu:

ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,

etsi neque Venetum munus, nec Alteri Codices varietatem afferunt, tamen non dubito, quin reponendum sit: ὃ οὐ δύο κ' ἄνδρε φέροιεν. Recurrunt verba Il. XX, 286. eodem modo et corrupta, et emendanda. Locus geminus est Il. I, 272, ubi particula recte adiecta legitur: κείνοισι δ' ἄν οὔτις τῶν, οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι, μαχέοιντο. Pariter in Eidyllio inter Theocritea XXII, v. 162. legebatur olim:

Ὡς ἀγαθοῖς πολέες βούλοιντό γε πενθεροὶ εἶναι.

Nunc recte BRUNCKIUS βούλοιντό κε rescripsit. Sed idem vitium eximendum erat eiusdem carminis versui 74.

Οὐκ ἄλλῳ γε μαχεσσαίμεσθ' ἐπ' ἀέθλῳ.

Scribe: οὐκ ἄλλῳ κε μαχ. Dissimilis est ratio subiunctivi, qui particulam illam et comitem adsciscit, et saepius spernit. Hom. H. in Cererem v. 491. Μέγ' ὄλβιος, ὅν τιν' ἐκεῖναι προφρονέως φιλῶνται ἐπιχθονίων ἀνθρώπων. Aeschylus S. c. Theb. 259. ὥσπερ ἄνδρας, ὧν ἁλῷ πόλις. Inscriptio Triopea II, v. 30. Οὔ μιν ὀνόσσηται, καὶ Κεκροπίδην περ ἐόντα. De hac particulae omissione monuerunt BRUNCKIUS

ad Aesych. S. c. Th. 259. et ad Eurip. Med. 519. atque VISCONTI Iscrizioni greche Triopee ora Borghesiane p. 88. Apparebit autem ex his, quae percurri, si in Theocriteo versu remansisset optativus, illi defuisse aliquid ad sinceritatem. Caeterum de verbo καταλυσσᾶν, a nobis restituto, v. Suidam h. v.

CAPUT

CAPUT VIII.

Mnasalcae et Macedonii Epigrammata quaedam emendantur. Tentatur locus Euripidis in Electra. Parcarum varia nomina: παρθένιαι, παρθένοι, κακοπάρθενοι, τρεῖς ἀδελφαὶ, tres sorores. Κόρη de Proserpina. ξαίνειν et ἀμύσσειν, etiam de lacrumis. Sirenum imagines ad luctum declarandum adhibitae tumulisque impositae.

Erit nobis ad Theocriti spinosa loca saepius revertendum. Nunc quoniam tale sumus iter ingressi, in quo honeste liceat quaedam deverticula quaerere ad animi relaxationem, exspatiabimur aliquantisper in Anthologiam graecam, refertissimum illum omnis elegantiae thesaurum, in quo concinnando expoliendoque HUSCHKIUS in Batavia et in Gallia CHARDONUS cum maxime laborant. Quorum virorum studia quemadmodum nulli dubitamus, quin multis modis exsuperatura sit doctrina et diligentia Critici eximii, qui nuper inter nostrates Brunckianum textum Lipsiensibus formis recudendum curavit, et quicquid praeter ingenii opes, quas ipse affert amplissimas, perficiundo operi inserviat, intensissima cura anquirit: ita gratum nos ei facturos speramus, si tum hic, tum alibi

alibi expromamus, quae ad emendandos illustrandosve illorum poëtarum difficiles saepe et perobscuros lusus conferre aliquid videantur. Scimus enim, Virum praestantissimum ne exigua quidem ab amicis munera adspernari, plane sentientem cum illo apud poëtam: *δόσις ὀλίγη τε φίλη τε.*

In carminibus MNASALCAE, qui circa Olymp. CXXXVI Theodoridae aequalis vixit, imitatus saepe numero antiquiores, a recentioribus ipse crebrius ad imitationem vocatus, multa sunt misere corrupta; unum corruptissimum, quod in Brunckii Analectis To. I. p. 193. n. XVII legitur:

Αἰ αἰ παρθενίας ὀλοόφρονος, ἃς ἄπο Φαιδρὰν
Ἔκλασας ἁλικίαν, ἱμερόεσσα Κλεοῖ,
Κἀδ δέ σ' ἀμυξάμεναι περὶ δάκρυσιν αἴδ' ἐπὶ τύμβῳ
Λᾶες Σειρήνων ἕξαμες εἰδάλιμοι.

Et BRUNCKIUS quidem (To. III. Lectt. et Emendatt. p. 36) sensum huius tetrastichi sine melioribus locis restitui posse negavit. IACOBS autem (Emendatt. in Epigrammata Anthologiae graecae, Lips. 1793 p. 9) illud sic tentavit, ut versu primo pro *παρθενίας* scriberet Περσεφόνας, deinde reponeret *ἃ σ' ἀπὸ Φαιδρᾶς ἥρπασ' ὁμηλικίας*, *ἱμερόεσσα Κλεοῖ*, denique tertium versum hoc modo mutaret: *ἄμμες ἀμυξάμεναι δὲ παρηίδας αἴδ' ἐπὶ τύμβῳ* κ. τ. λ. Quae correctiones quo magis sua se et probabilitate et elegantia commen-

commendant: eo timidius ingredior ad meas hariolationes proferendas. Videbatur mihi Epigramma sic restituendum:

Αἰ αἰ παρθενίας ὀλοόφρονας, αἰ σέο Φαιδρὰν
Ἔκλασαν ἀλικίαν, ἱμερόεσσα Κλεοῖ.
Κ' ἄμμες ἀμυξάμεναι χρόα δάκρυσιν ἆδ' ἐπὶ τύμβῳ
Λᾶες Σειρήνων ἔσαμες εἰδάλιμοι.

Ach der verderblichen Schwestern! sie haben den Faden des Lebens
In der Blüthe dir schon, reizende Kleo, gelös't.
Und wir marmornen Bilder, die Wangen durch Thränen entstellet,
Stehen über der Gruft hier in Sirenengestalt.

In his παρθενία non est virginitas, quod Brunckius putabat, sed virgo, adiectivo locum substantivi tenente. Is nimirum est mos loquendi, quem epigrammatarii in primis poëtae frequentarunt suumque fecerunt, ut v. c. δεσπόσυνος dicatur pro δεσπότης, γειτόσυνος pro γείτων, δουλόσυνος pro δοῦλος. De quibus bene admonuit Musgravius ad Euripidis Hecubam v. 448. Poteras et in nostro versu παρθενικάς· sed nec hanc emendationem, etsi facilitate sua blandiatur, propter illum morem

loquendi necessariam duco. Quaenam vero sint παρθένιαι ὀλοόφρονες, quove illae sensu κλάσαι φαιδρὰν ἀλικίαν dicantur, satis mihi videor vertendo declaravisse. Quippe illae intelliguntur tres sorores, quarum atra fila Horatius commemorat, II. Odar. IV, 15. 16. His enim et nomen illud congruit, et ipsa res, quae describitur. Ac rem quidem tot exprimunt exornantque poëtarum loca, ut etiam in vulgus dimanarit. Praeteribo ea, quae MANSO in commentatione de Parcis elegantissime scripta collegit (Versuche über einige Gegenstände aus der Mythologie der Griechen und Römer, pag. 493 — 572), acquieturus in his, quae nobis sunt propiora, et vel criticam opem requirunt, vel simul nominis illustrationem aliquam atque confirmationem suppeditant. Huc autem pertinet, quae apud Meleagrum (Epigr. CXXIII. ed. Manson.) occurrit κακοπάρθενος Μοῖρα, aut apud Lycophronem v. 585. γηραιαὶ κόραι, planeque quoad sententiam nostro simile est illud Pauli Silentiarii, Epigr. LXXXIII. Analect. To. III. p. 102.

Αἰ αἰ λευγαλέη καὶ ἀμείλιχος ἔπλετο Μοῖρα,
Μηδὲ τεῆς ἥβης, δύσμορε, φεισαμένη.

Ha! wie grausam sie war, wie unerbittlich die Parze!
Deine Blüthe sogar, Armer, verschonte sie nicht!

His

His adde Epigramma inter Ἀδέσποτα DCXCV. Analect. p. 300, ubi Φθονερὴ Μοῖρα, βάσκανος δαίμων et similia, quae explicatione non egent. Verum emendatione indiget pulchrum carmen MACEDONII (Analect. To. III. p. 113. no. VII), quod, quoniam per hanc dicendi de Parcarum nominibus opportunitatem sanari facili negotio potest, huc transferre non gravabor:

Κιχλίζεις, χρεμέτισμα γάμου προκέλευθον ἰεῖσα,
Ἥσυχα μοι νεύεις· πάντα μάτην ἐρέθεις.
Ὤμοσα τὴν δυσέρωτα κόρην, τρισὶν ὤμοσα ΠΕΤΡΑΙΣ
Μήποτε μειλιχίοις ὄμμασιν εἰσιδέειν.
Παῖζε μόνη τὸ Φίλημα· μάτην πόππυζε σεαυτῇ,
Χείλεσι ΓΥΜΝΟΤΑΤΟΙΣ, οὔτινι μισγομένοις.
Αὐτὰρ ἐγὼν ἑτέρην ὁδὸν ἔρχομαι, εἰσὶ γὰρ ἄλλαι
Κρέσσονες εὐλέκτρου Κύπριδος ἐργάτιδες.

Tres illae rupes, versu tertio memoratae, quae sint, nec explicuit quisquam, nec facile explicuerit. Vix ego dubito, quin hoc distichon sic corrigendum sit:

Ὤμοσα τὴν δυσέρωτα Κόρην, τρισὶν ὤμοσ' ΑΔΕΛΦΑΙΣ,
Μήποτε μειλιχίοις Σ' ὄμμασιν εἰσιδέειν.

Hic ut ὕστερον πρότερον committam, insertam vocula σὲ quantopere sensus flagitet, et quomodo exciderit, nemo est, quin pervideat. Parcae autem τρεῖς ἀδελφαὶ vocantur plane, ut in Homerico H. in Mercurium v. 549.

Σεμναὶ γάρ τινές εἰσι κασίγνηται γεγαυῖαι
Παρθένοι, ὠκείῃσιν ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν,
Τρεῖς.

Quam egregiam lectionem, auctoritate codicis Moscoviensis nuper etiam ab Ilgenio redditam, nostrisque correctionibus valde proficuam, principi Criticorum, DAVIDI RUHNKENIO, debemus. Quem vide Epistolae Crit. I. pag. 50. Tum in eodem Macedonii Epigrammate versum sextum, qui aut nullum habet sensum, aut, si habet, frigidae tautologiae fastidium movet, sic velim refingi:

Χείλεσιν ὙΓΡΟΤΆΤΟΙΣ, *οὔ τινι μισγομένοις.*

Quibus apte depingitur lascivientis amoris cupiditas atque pruritus. Epigramma *ἀδέσποτον* (quod videtur Iuliani esse) in Analectis LV, To. III. p. 161. Κούρη τις μ' ἐφίλησεν ὑφέσπερα χείλεσιν ὑγροῖς. Χείλεα ἀκροβαφῆ dixit Irenaeus Epigr. III. To. III. p. 10. Cf. Interpretes ad Anacreontis Od. XXVIII, 21. Verum haec obiter et in transcursu. Valde enim distant a Parcis, de quibus antea sermo nobis erat, et a *δυσέρωτι κόρῃ*, de qua nunc id addendum est, intelligi Proserpinam debere, *κούρην περικαλλέα Περσεφόνειαν*, Hom. H. in Cererem v. 491. Δυσέρως enim hic nec perdite amantem significat, neque violentia amoris abreptam aut in libidinem nimis effusam, (v. D. Heinsii Lectt. Theocrit. c. IV. p. 303. T. Hemsterhus. ad Lucianum To. I. p. 389. ed. Bipont.), sed infelicem in amore;

amore; uti bene iam vertit Eilh. Lubinus. Nec sane adiecissemus illam observationem de Κόρῃ, quae e poëtarum lectione vel tironibus trita est, nisi vel fuissent, qui puellam poëtae amatam temere intelligerent, vel hanc eamdem appellationem reddere luberet Proserpinae in vexato EURIPIDIS loco, qui est Electrae v. 677. Orestes ibi et Electra Iovem, Iunonem, ipsum denique interemtum patrem, Agamemnona, invocant, ut victoriam annuant coeptis, quibus necare Aegisthum punireque Clytaemnestram matrem aggrediuntur:

Σύ τ', ὦ κάτω γῆς ἀνοσίως οἰκῶν πάτερ,
ΚΑΙ ΓΗ Τ' ἄνασσα, χεῖρας ἢ δίδωμ' ἐμὰς,
Ἄμυν', ἄμυνε τοῖσδε φιλτάτοις τέκνοις.

Medii versus vitium duplici copula argui, senserunt omnes, qui ad legendum locum accesserunt. Recte etiam observatum est IACOBSIO (Animadvers. in Euripidis Tragoedias p. 196), respici hoc versu ad inferos Deos, quibus qui preces funderent, terram manibus solebant pulsare. V. Hom. Iliad. IX, 564. Correxit Vir acutissimus Ἑκάτη τ' ἄνασσα, Hecaten monens nonnumquam nihil differre a Proserpina. Ego vero lubenter id largior, quod V. D. e scholio quodam in Theocritum (Eid. II, 12) demonstratum ivit; sed Tragicis an ita placuerit, subdubito. Quamvis enim tragici poëtae et ante iam lyrici inde a saeculo ante Christum quinto fere medio Hecates auxerint munia, nomenque et mythos illius proprios tum ad

Artemin transtulerint, tum etiam cum Eilithya communicarint: id quod prae caeteris erudite ostendit SPRENGELIUS (Beyträge zur Geschichte der Medicin, P. III. p. 25): tamen desidero Tragicorum loca, e quibus Proserpinam quoque isto appellatam esse nomine appareat. Quocirca, ut vices huic Deae reddantur, Euripidis versum sic mutaverim:

ΚΌΡΗ τ' ἄνασσα, χεῖρας ἧ δίδωμ' ἐμάς.

Sed satis de his. — Iam enim revocanda est disputatio ad primum illud, unde progressa fuerat, Mnasalcae Epigramma, ut, si quid in eo reliquum est, quod vel lucem vel firmamentum desideret, nostra ei opera succurrat. Versu igitur tertio quod rescripsimus, κ' ἄμμες ἀμυξάμεναι χρόα δάκρυσιν, praeclare sustentatur imitatione Antipatri Sidonii, Epigr. CIV. To. II. p. 35. σὺ δὲ ξαίνουσα παρειὰς δάκρυσιν, quae et servatum a nobis δάκρυσιν unice tuetur et vindicat. Quamvis enim durius videatur atque insolentius dictum, χρόα δάκρυσιν ἀμύσσειν, tamen et insolentiam excusat alterius poëtae haud aliter loquuti exemplum, et duritiem observatus diligenter loquendi usus mitigabit. Ergo de hoc quaedam adspergam. Ἀμύσσειν quibus maxime notionibus frequentetur, satis constat, et monitum est ab eruditis editoribus Hesychii To. I. p. 290. Nunc illud operae pretium est advertere, verbum, quia descendat a μύειν vel μίειν, quibus inter alia subiecta fuit potestas quasi secando minuendi, comminuendi, usurpari de partibus, quae

proprie

proprie scarificando radendoque, deinde per translationem etiam aliis modis comminuantur, extenuentur, ideoque deformentur atque deturpentur. V. Lennepii Etymologicum linguae graecae p. 136. Id si teneatur, apertum est, quod Mnasalcas noster paullo durius dixerit *ἀμύσσειν χρόα δάκρυσιν*, aut Antipater *ξαίνειν*, nihil differre ab eo, quod mollius pariter atque elegantius expressit Euripides Helenae v. 1435, *δάκρυσιν ἐκτήξαι χρόα*, nisi quod Mnasalceae dicendi rationi insuper deformitatis seu foeditatis notio inhaereat. Sensus igitur formulae sic poterit circumloquendo declarari: vultum lacrumis extenuantibus deformare, lacrumis formam rodentibus foedare. — Denique in ultimo Epigrammatis versu, quod nec Brunckii aciem fefellit, *εἰδάλιμοι* novo more positum a poëta est pro *εἴκελοι*, ita ut *λᾶες Σειρήνων εἰδάλιμοι* dicantur imagines vel simulacra Sirenum e lapide confecta. His imaginibus, usitatum veteribus erat, ornare cippos mortuorum, vel quod simulacra facundiae, illustri in loco posita, magnam habere vim existimarentur ad memoriam et gloriam facundissimorum hominum conservandam, vel ut omnino luctus sui lamentorumque partes veluti transferrent ad eas, quarum voces ad molliores tenerioresque animi affectiones ciendas aptissimae viderentur. Prius illud obversatum esse putabimus animis eorum, qui Sophoclis, Isocratis aliorumque sepulcra Sirenum imaginibus insignirent

(v.

(v. voss Mythologische Briefe II. p. 44): hoc posterius valebit tum ad plura Anthologiae graecae carmina explicanda, velut Erinnes II. (Anal. To. I, p. 58), tum ad illustrandum Euripidis nobilissimum locum (Helen. v. 166), ubi Helena, mortem mariti flebilibus modis lugens, Sirenas potissimum in societatem doloris advocat. V. JACOBS Animadverss. in Euripidem p. 142.

Pag. 72. lin. 20. locis corrig. libris.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Eichstaedt, Heinrich Carl Abraham,

Quaestionum philologicarum specimen Observationes aditialis indicendae caussa

Lipsia 1796

4 Diss. 5113#Beibd.9
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11029280-9
VD18 14650746-001